



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ivdex Magistratvs Senator**

**Zype, Franciscus van der**

**Antverpiæ, 1633**

Liber Secvndvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14280**

Sed rectè laudat Loiseau *des offices lib. 1. c. 3.* rationem mediam fortuito ab usu repertam, scilicet concessionem Magistratus vsque ad Principis reuocationem. Vnde in Gallia Regiis officiorum codicillis ex formula inseri solet, *tant qu'il nous plaira*: quales tamen ad perpetuos refert Borel. *ibid. n. 69.* In eam rem præclara monitio Cassiod. *uariarum lib. 7. c. 2. Sit*, inquit, *in vestro proposito administrationem vnus anni suscipere: nostrum est merentibus tempus augere.* quare & Capitolin. de Antonino refert, quòd successorem viuenti bono Iudici nulli dedit, & Seuerus, (vt de eo Lamprid.) si cui vnquam successorem dedit, semper illud addidit, *Gratias tibi agit Respub.* eumque ita muneratus est, vt priuatus posset honestè viuere. Paul. *Emil. lib. 1.* refert, quòd Duces ab initio Comitèsque à Regibus præficiabantur gentibus, ciuitatibusque, ac, cum videretur, dimittebantur: deinde inuenteraui consuetudo, vt nisi sceleris conuicti abire imperio non cogerentur, inde Officia in hæreditates migrarunt.

In Gallia perpetua reddidisse officia Philippum Pulcrum, periculose voluisse mutare Carolum V. & Ludou. XI. refert *vbi supra* Loiseau, explicatque diligenter prædictum beneplacitum Regium, & Borel. *vbi supra, num. 77. & seq.* quando morte concedentis sub beneplacito non censetur expirasse iurisdictio.

Siue autem tempus Magistratus expirauerit, siue successor ei datus sit, non antè tamen cessat eius officium, quàm successor aduenerit. *l. meminisse D. de off. proc. Borel. vbi sup. l. 1. cap. 12. n. 64.* numquam dari vacuum debet in Rep. numquam acephala esse illius administratio.

1:  
Datus  
quam diu  
videbitur  
Principi,  
potior per-  
petuo vel  
tempora-  
rio.

## LIBER SECVNDVS

## CAPVT I.

## De potestate Iudicis.



NITIO generis humani omnes homines natura æquales erant, excepta æconomica parentum in liberos potestate, quam natura ac Deus indidit, alia ferè omnis à violentia cœpit. inde in sacris literis Nemroth

1:  
Vnde cœpta  
potestas?

I robu-



robustus venator dicitur, exinde cum imbecilliores aduersus aliorum potentiam tueri se non possent, potentiorum auxilia implorarunt, & in clientelam eorum se dederunt, defensionemque; hi illorum aduersus alios susceperunt. Ex hoc gentium populorumve consensu Reges, Dynastæ, Iudices, Satrapæ instituti sunt primùm, atque tributa eis vniuersim potestas omnis defendendi, vindicandi que, quam singulis natura permiserat.

Hoc consensu enata publica potestas, diuinâ auctoritate sancita est, ne temeraretur. Vnde illud Pauli, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Neque exinde permillum cuiuspiam sibi ius dicere, vel iniuriam suam vindicare, minùs in alterum potestatem exercere. *Qui priuatus, inquit lex 3. D. ad leg. Iul. maiest. pro Magistratu potestatem se gessit, lege Iul. Maiestatis tenetur*. Post Reges in partem potestatis venerunt Magistratus atque Iudices, & apud Iudæos quidem tribuni, centuriones, quinquagenarij & decani, qui Moyfi dati sunt in subsidium; quo leuius ei foret populum iudicare, partito in eos onere. Singuli autem suos gradatim iudicabant: quicquid autem maius fuerat, referebant ad Moysem. Ita in plerisque regnis, Rebuspub. maiores minoresque Magistratus instituti sunt. de quibus illud Apostoli; *Subditi estote Regi, tanquam præcellenti, & Ducibus (id est Magistratibus) tanquam ab eo missis*. *Magistratus, inquit Festus, à magistrando dicti sunt.*

2. *Potestatis verbo imperium in Magistratu significatur, inquit lex, significatur de verb. signif. maiores Magistratus cum imperio & potestate erant. leg. 32. D. de iniur. leg. 2. D. de in ius vocan.*

3. *Quorumplex? Imperium ius gladij eminentius continebat, atque à populo nominatim, vel Principe dabatur: non iure Magistratus. l. 1. D. de off. eius cui mandata est Iurisdictio. Cuiac. lib. 21. obser. cap. 30.*

Alii mixtum imperium & iurisdictio competeat, quæ sine modica coercitione non est. *leg. ultim. dicto tit. Alij propriam iurisditionem non habebant: sed tantum iudicandi facultatem. leg. ultim. C. ubi & apud quos rest. in int. post. at hi Magistratus non erant, sed iudicare tantum iubebantur; sententias exequabantur ipsi Magistratus, tribunal illi non habebant; sed de plano iudicabant; non*



non vtebantur prætoriiis verbis, *do, dico, addico*, sed mandanti Magistratui ea reseruabantur.

Legis virtus est *iubere, vetare, permittere, punire*, l. legis. D. de leg. Eadem virtus est Magistratus, qui viua lex est; iubere item vocari, iubere prehendi, iubere iudicare. non hæc illi possunt, qui magistratu non funguntur. Inde Cicer. 3. de leg. *Hæc vis est*, inquit, *Magistratus, vt præsit, præscribatque recta, & coniuncta cum legibus*; vt enim *Magistratibus leges, ita populis præsumt Magistratus*, verèque dici potest Magistratum legem esse loquentem; legem autem mutum Magistratum.

Igitur Magistratus supra potestatem eis concessam, aut extra prouinciam eis commissam priuati sunt. l. vlt. D. de Iurisdic. omn. Iud. ideoque oportet vt quicumque causam habuerit, à suis Iudicibus iudicetur, & non ab alienis. 11. q. 1. c. 7. 9. q. 2. c. in Galliar. 25. q. 2. Peregrina iudicia generali sanctione prohibentur, quia indignum est, vt ab extraneis iudicentur, qui comprouinciales, & à se electos debent habere Iudices. nisi fuerit appellatum, c. peregrina. & seq. 3. q. 6. Nullus, inquit Calixt. c. nullus 9. q. 2. *alterius terminos vsurpet, nec alterius parochianum iudicare, aut excommunicare audeat*. Maledictus enim, inquit lex Deut. c. 27. *omnis est qui transfert terminos proximisui*. Per alienam, inquit Greg. c. 1. caus. 6. q. 3. *messem transiens, falcem mittere non debet: falcem ergo iudicij mittere non potest in eam segetem, quæ alteri videtur esse commissa*. 6. q. cap. 1. 3. q. 6. cap. 14. d. 71. cap. 2. 6. q. 3. cap. 2. 11. q. 1. c. 39. Inde enim indignatur Paulus ad Romanos c. 14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Rectè dicunt Philosophi, omne agens debere intra sphaeram actiuitatis habere patiens, vt in illud agat. & Theologi mortiferi reatus eum damnant, qui vsurpat iudicium. sed & nullius momenti esse leges nostræ voluerunt quicquid à non competente Iudice decretum fuerit. C. si à non competente. Ex quibus id conficitur, vt sicut eum, qui iudicare debet Magistratum esse oportet, l. eum D. de iurisdic. ita quoque eum, Magistratum esse non sufficit, nisi sit & eius personæ, & rei de qua quæritur. non igitur assessor, aut Index pedaneus in potestatem Magistratus transilire poterit: non cui iurisdicatio mixtumque Imperium demandatum, merum arripere, atque exercere poterit: non cui datum imperium in ciues, poterit arripere in milites: neque versâ vice. l. 2. C. de offic. milit. Iud. l. 1. C. de off. præfect. vrb.

4.  
Que virtus potestatis?

5.  
Extra mādātam potestatem priuati Iudices.

6.  
Non possunt aliena vsurpare.



7. *Præferim  
merum  
imperium  
quod di-  
fertè dan-  
dum.* Nec merum quidem imperium concessum olim intelligebatur, nisi disertè demandatum esset. & in libera adhuc Republic. parcè de capite ciuis Romani statuebatur, & magnâ ceremoniâ populoque conuocato: sed cùm res ea difficilis esset, designabantur qui causas criminales cognoscerent, qui deinde Iudices quæstionales vocabantur. Sed quibus exercitus & res militares committebantur, etiam merum imperium dabatur. Demus, inquit Cicero, in *Philipp. imperium Cesari, sine quo res militaris geri non potest.* & quidem eiusmodi imperium in milites ordinariis legibus solutum erat. Polibius lib. 6. de re milit. & domest. Rom. discipl. adeoque in caput militis statuere poterat, qui exercitui imperabat, sine solemnibus aliis consuetis. nam res militaris moram non patitur, nascente coniuratione, secessione, seditione militum, aut hoste imminente.

8. *Semper videant an sit iurisdic-  
tio.* Ad officium ergo pertinet eius qui iudicaturus est, ante omnia cognoscere an sua sit iurisdicção, an causa, & reus ad eum pertineat. Sapientis Iudicis Cicero inter cætera esse dicit, animaduertere quâ lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. nam nec quempiam litigatorum sententia à non suo Iudice lata constringit. *l. ultim. C. si à non compet. Iud.* quod si de causa & crimine, de quo cognoscere Iudex non poterit, statuerit, & quod gestum erit non subsistet, & in Iudicem ipsum actio dabitur. Cicero eò quòd consul supra quàm potestate eius dicebatur comprehensum, statuerat, exilio & bonis multatus fuit.

9. *Pot. fiat  
termini  
maximè  
seruandi,  
vbi officia  
veneunt.* Rectè in Gallia vbi officia magno veneunt, adeoque qui ea obeunt non vt onera ea amplectuntur, quales diligentiam suam non vltra necessitatem porrigunt, sed vt frugifera munera possident, ideoque libenter terminos suos in vicinum agrum proferunt: Franciscus I. & Henricus II. etiam respectu Notariorum (qui quandam ibi voluntariâ iurisdictionem exercent in contrahentes, & potestatem eos damnandi habent in id quod conuenerit, iuxta *l. si conuenit. D. De re iudicat.*) decreuerunt: *Qu'il ne leur est loisible d'entreprendre sur les limites les uns des autres, &c. à paine de nullité, & de tous despens, dommages, & intersts des parties, & encores de rendre le quadruple de l'emolument.* Neque Iudicem excusat, quòd in ius vocati venire debeant, & priuilegia sua allegare. *l. 2. D. si quis in ius vocat. & l. 5. D. de iudic.*



dic. agunt enim ex leges de iis, qui priuilegia habent, quæ priuata sunt, & facti, quæ licet Iudici ignorare. sed d. lex ult. C. si à non compet. & lex extra territorium D. de iuris. loquuntur de notoriis districtuum, territoriorumque terminis, publicis causarum, personarum legibus.

In notoriis Iudicum excessibus cuiuslibet obsistere tanquam priuatis licet, qui aliàs crimen læsæ maiestatis incurreret. l. quisquis in verb. cuiuslibet qui nobis militat C. ad leg. Iul. maiest. Extr. au. qui sunt rebel. in lib. feudo. bene Clarus, lib. 9. tit. crimen læsæ maiest. vers. quare etiam. Magistratus enim sacri sunt, atque inuolabile lege Horatiã de sacrosanctis magistratibus. Quamuis autem Præsides cum excesserunt prouinciam, priuati loco sunt. l. 3. D. de off. Præs. Proconsules tamen extra urbem, ubique proconsularia insignia gerebant; & ubique exercebant iurisdictionem voluntariam, quamuis non contentiosam l. 1. & 2. D. de off. proconsul. Quam differentiam doctè notauit inter Præsides & Proconsules Cuiac. obseru. lib. 20. obs. 37. tamen communiter obtinuit, vt credantur Iudices extra territorium voluntariam exercere iurisdictionem, non contentiosam. esto hi differant in honorum insignibus, in inchoando magistratu, aut deponendo.

Pro sua igitur quemque iurisdictione officium exercere conuenit, non eam excedere. Defensor ciuitatis in minoribus causis, id est vsque ad 50. solidos acta iudicialia conficit, ceteras verò quæ dignæ forensi magnitudine videntur, ordinatio insinuat Rectori. l. 1. C. de defens. Ciuitatis. neque enim pro hac summa adiri poterat Præs, nisi per appellationem, §. & Iudicare de defens. Parentis vicem plebi exhibet, descriptionibus rusticos, urbanosque non patiens affligi. l. 4. ibid. nihil sibi insolens aut indebitum vindicans, nominis sui tantum fungitur officio, nullas infligit multas, fauiores non exercet quaestiones, plebem & decuriones ab omni insolentia & temeritate tuetur. l. 5. fere instar Tribunorum plebis, quales olim erant. ubi latronum feruet insania, adest disciplina, nec finit crimina impunita coalescere. l. 6. oblatos sibi reos in ipso latrocinio, homicidio, stupro, raptu, adulterio deprehensos, expresso crimine, cum his, à quibus fuerint accusati, mox sub idoneo persecutore ad iudicium dirigit. l. 7. leuia crimina audit, & punit. §. audient. Authent. eodem. d. leg. 7. sine eius iussu aut Præsidis nemo in custo-

10.

Iudici excedenti notorie obsisti potest.

11.

Defensores de quibus cognoscant.



diam coniciebatur. *l. neminem. 11. C. de Episcop. audien.* Solerter curat possessores maioribus ponderibus, & mensuris à susceptoribus minimè prægruari. *ibidem.* apud eum testamēta, donationesque insinuabantur. Iudiciorum acta fiebant. *l. penult. eod. §. nulla in Auth. eodem.* in archiuum deferenda & à carie & corruptione seruanda. *§. præcep. ead. Authent.* tumultus sedabat, plebem curabat. *§. deinde d. Authent.* tributorum exactoribus opitulabatur, quasi Præsidis vices gerens *d. §. deinde.*

Eodē modo Præfectus vigilū de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptoribus cognoscit. nisi si qua tā atrox tamque famosa persona sit, vt Præfecto vrbis remittatur. *l. 3. de Offic. præf. vigil.*

12. *De quibus Duumviri.* Duumviri etiam suos limites habebant, & Magistratus municipales vocabantur. *l. fin. C. de Iudicijs. l. 1. & 2. C. de magist. 25. D. ad municipal. & sicut Consules alternis diebus duodecim; ita Duumviri alternatim binos fasces præmittebant. Vsq̄ue ad certam summam iudicabant. l. 4. §. si verò. D. de damno insecto l. 28. ad municipal.* ea quæ magis imperij sunt quam iurisdictionis, exercere non poterant. *l. ea que. 26. D. ad municipal.* si tamen ita conuenissent litigantes, de maiori summa apud eos agi poterat. *l. inter 28. D. ad municipal.* Actorum etiam conficiendorum potestate utebantur. *l. 2. C. de magist. municipal. l. curent. D. de testibus. l. Iub. 6. de defens. ciuit.* Pignora etiam capi ob executionē rei iudicatæ Duumviri iubebāt. *l. quem ad. 36. §. penult. D. ad leg. Aquil.* Seruos modicè castigabant, fugitiuos ad Præsidem transmittēbāt. *l. 4. D. de seruis fugit.* Liberos carceribus mancipandi, & innocentes dimittendi facultatem habebant. *l. magist. 22. D. de iuridic. iudic. l. si quis 52. §. si fugitiui. D. de furt.* An puniendi potestatem habuerint, Accursius aliique controtuerunt; exercuisse ex actis Martyrum constat. Tutores dabant, si pupilli facultates quingentos solidos non excederent, *§. penult. inst. de Attil. tut. l. 3. §. de tutor. & curat. dat. ab his. l. sancimus in curationibus 30. C. de Episcop. audien.* ditioribus verò pupillis tutoribus à Præsidibus datis.

13. *Curator Reip.* Curator Reip. fundos, ædes, & publicam pecuniam curabat. *l. 1. §. 1. D. quod cuiusq̄. mulctandi ius nō habebat. l. 5. C. de modo mulct.* prædia ciuitatis locabat, publicas res à priuatis occupatas vendicabat. *l. 3. §. 1. D. de administrat. rer. ad ciuit. pertinen.* publicas ædes, & balnea quæ restauratione indigebant, redemptoribus sarcienda locabat. *l. vlt. §. 2. D. de curat. Reip.* aut ipse



ipſe refici iubebat. l. ult. §. hic quoque. D. de muner. & honor. quotannis rationem reddebat, l. ult. im. §. 8. D. de adminiſt. rer. ad ciuit. pertinent.

Curator Calendarij pecuniam publicam fœnori locabat. 14.  
 D. quod cuiuſque. l. Gaius 11. D. de uſuris. l. ult. im. §. 2. de muner. & honor. Curator Calendarij.

Hodie eiufmodi officia, vt pleraque alia Romani imperij, ad præciſam rationem vix vlla habent reſpondentia. alij mores alios limites poſuerunt. Vt id generatim tantum monendum ſit, vt quiſque demandatam functionem quàm diligentiffimè obeat, negotia aliis commiſſa ne interturbet, alienæ rei ne ſe immiſceat.

Sed & hic locus moneret dicere de poteſtate Ducum, Marchionũ, Comitum, Baronum, Dominorũ altæ, mediæ, infimæ Iuſtitia, vt loquimur iam pridem; ſed tractatus is extra inſtituti noſtri præſcriptum excurreret, & eas partes omnibus ademit Loifeau des Seigneuries. nec malè executi ſunt Borell. de Magiſt. l. 4. atque ſexcenti alij, qui in libros, aut materias feudorum ſcripſerunt.

## CAPVT II.

## De Honore.

**P**oteſtatem honor comitatur, cùm ſicut poteſtas ita honor omnis ſit à Domino Deo virtutum, ab eoque vt fonte promanat in Reges Magiſtratus, Iudices. Deo debetur, & ob illũ poteſtatibus per illum ordinatis. Omnis enim poteſtas à Deo eſt, Paul. ad Rom. 13. ex eaque honor profluit, vt à ſole lumen. ſed maximè lucet in iis, quorum vitia, vt nubes, lumen non impediunt, qui dignitatem criminibus non proſtituunt, l. Curial. de decur. lib. 10. Cod. qui indignitate ſuâ vim & ius Magiſtratus non demunt. ita Linius. qui Magiſtratum non pecuniâ, aut fautoribus, ſed virtutibus ambiuerunt: qui non auratis alis, vt loquebatur Euripides, volare contendunt: Hæc enim res ipſa, inquit Seneca Epist. 115. quæ tot Magiſtratus & Iudices facit, pecunia, ex quo in honore eſſe cœpit, verus honor cecidit, mercatoresque & venales inuicem facti, quærimus non quale ſit quidque, ſed quâti malè illud ſemper recinimus;

I.  
 Honor poteſtati in-  
 eſt, præſer-  
 tim ſi non  
 auro, ſed  
 virtutibus  
 cœparetur,  
 retineatur.



*Aurea nunc verè sunt secula; plurimus auro  
Venit honos.*

2. Officiis ergo publicis ita honos inest, vt & latinè, & in Iure officia ipsa honores dicantur. *tit. de muner. & honor. Honor*, inquit *Calist. in l. 14. eod. est administratio Reipublicæ cū dignitatis gradu.* quam non malè inuersam voluit *Loiseau. l. 1. de off. c. 1. vt sit dignitatis gradus cum administratione Reip. Honorem seruat Magistratus, si innocenter vixerit. auget etiam, si virtute excelluerit, a actionesque omnes illius à virtutis lineis ductæ vi deantur. Authoritatem*, inquit *lex. obseru. de offic. Præs. dignitatis sue ingenio suo augeat.*

3. Magistratui honoris causâ assurgere, & de via cedere oportet, ideo Fasces eis dati, secures, lictores, eorumdemque numerus pro gradu dignitatis. Hinc de Tiberio imperium inchoante: *Consulibus assurrexit, & decessit via.* didicerat ab Augusto Iul. Cæsaris contrario exemplo instructo: qui *apud Sueron. precipuam & inexpiabilem inuidiam sibi mouit, quòd adeuntes se cum honorificentissimis decretis vniuersos Patres sedens pro aede Veneris genitricis excepit.*

Dignitatem suam vt suis ipsi vitiiis obscurare non debent, ita nec pati, vt ab aliis imminuatur, sed insolentes compescere conuenit. *l. 15. §. vnde querit. D. de iniur. l. 1. D. si quis ius dicenti.*

4. Non criminibus deturpetur, nec imminuant ipsi iudices aut ab aliis minui patientur. Seuerus, cū in Africa legatus esset, eum cædi iussit, qui temerè eum amplexus erat: Tribunus Vectium occidi, qui transfugienti non assurrexerat: Aman Mardochoeo crucem pararat, quòd aulâ exeunti non assurrexerat. Fabius filius Consul patrem obuium equo descendere iussit. cui pater, non se despexisse in filio dignitatem, sed experiri voluisse, an eam tueri posset. Vnde rectè apud Agellium *lib. 11. in publicis locis, atque muneribus, & actionibus patrum iura cum filiorum, qui in magistratibus sunt, potestate collata, interquiescere paululum & coniuere, sed cū extra Remp. in domestica re & vita sedeat, ambuletur, in conuiuio familiari discumbatur, tum inter filium magistratum & patrem priuatum, publicos honores cessare, & genuinos exoriri.*

5. Semper ergo in publicis sessionibus, & processionibus, atque vbiicumque publica lux magistratus fulgere debet, ita cum



eum habere conuenit, ne incusari possit imminuti Magistratus: ita minoribus se præferat, ut maioribus cédât, inter pares prærogatiuam temporis obseruet. *ut dignitatis ordo seruetur,* lib. 12. Cod.

Honores  
inuicem ex  
gradus ac  
temporis  
ordine de-  
ferant.

Etenim manifestè decretum est, eum esse potio-rem, qui præcesserit, & illum subsequi quem recentius probauerit examen. l. 1. de præpos. sac. cubic. lib. 10. Cod. Quis enim, inquit lex 1. de consul. lib. 12. in vno eodemque genere dignitatis prior esse debeat, nisi qui prior meruerit dignitatem? cum posterior, etiamsi eiusdem honoris prætendat auspiciâ, cedere tamen eius temporis magistratui debeat, quo ipse non fuerit. Sit igitur, ait lex 2. C. de præfect. præ. sedes prior antè prouectis, locus conspectior, decernendi loquendi que facultas antiquior, cui est splendor adepti Magistratus uetustior.

Id quod generatim obtinet in officiis l. 1. de præfect. præ. militiis d. l. 1. de præpos. sac. cubic. ordinibus, l. 1. C. de alb. scrip. etiam post depositum magistratum, d. l. 1. de consul.

Et quanquam dicta lex 1. de offic. præ. tempus promotionis & adeptionis codicillorum respiciat, tamen moribus nostris tempus adeptæ possessionis, atque installationis (ut vocant) magis attenditur. nam tunc incipit in actu positus peragere administrationem, quam considerat lex ult. C. ut dignitat. ordo seruetur, ita ut quamuis ius dicendæ sententiæ nondum sit adeptus, tamen prærogatiuam temporis retineat, & fructibus officij potiatur. l. spurij. §. minor. D. de decur. Adeò quidem hæc obtinent, ut si quis dignitatem resignauerit, & postmodum rursus adeptus sit, locum retineat, quem ultimò accepit. Angles lib. 7. orij semestris, cap. 8. non tamen si ad tempus tantum iussus fuerit abstinere delatus, eo que cessante ad prius collegium redierit. l. maior de dignit. lib. 12. Cod.

Porro quia populus externo ritu capitur, ut sua ueneratio Principibus & Magistratibus constet inuenta Monarcharum & magistratuum insignia, nobilis ceremoniis ratio Imperatoris eligendi, Regis creandi, Monarcharum unctio & coronatio, sceptrum, diadema, diuina nomina, & honores, apothefes, adoratio, purpuræ, dexteræ oscula, vota pro Principibus nuncupata, per vitam Imperatorum iuramenta, lampades, & focus, ignes prælati, festiuitates, oraria, plausus, & si qua alia Regum & sublimium Principum decora: adde

6.  
Honoris  
causa in-  
uenta in-  
signia Prin-  
cipum ac  
magistra-  
tuum,  
& quæ?

*Et sellam regni, trabeamq; insignia nostri.*

Sub Principibus Magistratui pro gradu cuique etiam sua  
infig-



insignia erant, quo spectabilior videretur. in primis toga prætexta, id est, purpurâ circumtexta, & cum securibus fasces prælati, & sella curulis.

Maiores quidem Magistratus prouinciarum, vt Præfecti, Proconsules & vicarij, mulierum imagines habebant, quæ prouincias ipsis subiectas in sinuabant; alij oppidorum. Præterea codices, qui librum mandatorum repræsentabant, & vultus Principum auratæ pilæ præfixos: aliis signa rerum quas tractabant, vultus Principum, Magistratibus in publicum prodeuntibus præferebantur, *l. 4. C. de Iniur. l. Capital. §. ad statuas D. de pœnis. Cassiodor. l. 6. varia. in formul. consul. Vultus etiam, inquit, regnantium genata obsequij pompa præmittit. vt hodie Archipræsules & Patriarchas præit crux Domini argentea. cap. antiqua de priuileg. Vt sciant, inquit Iustinian. Nouell. 24. §. 1. & Nouel. 26. §. 26. Magistratus, quomodo oporteat eos prouincias gerere, visum est nobis non solum tradere symbola, sed etiam præscribere, quomodo Magistratum administrare debeant.*

In auditorio etiam quo tempore causas audiebant, ad augendam maiestatem Principum, cereos, seu lampades accendebant. Simile est quod iussit Iustin. vt ante sedem iudicalem sacrosancta deponerentur Euangelia, & ibi ab initio litis in omnibus cognitionibus vsque ad terminum, & prolationem sententiæ permanerent. *l. rem non nouam in fin. princ. C. de Iudic.*

Omnibus item Iudicibus cingula dabantur; maiora, minoræue pro eorum gradu; sine quibus Principem adire non licebat. nam *veneranda, inquit Iustin. in s. illud de Appell. in Auth. vetustatis, auctoritas ita Magistratus digessit, vt alij maiores, alij medijs, alij minores essent.* & pro eadem ratione numerus erat fascium, & apparitorum, seu cohortalium, qui non gregatim aut bini, ternive, sed singuli alter post alterum præcedebant.

7. Erant & in maioribus vrbibus prætoria, siue ædes, in quibus iudicabatur. *Nouel. 24. in princip. l. omnes §. 1. C. de Episc. & cleric. l. prætor. C. de oper. pub. l. ult. C. de Off. Rect. prouinc.* In hisce altius tribunal ad ius dicendum; illi fortè simile quale est apud Vitruuium, *l. 5. c. 1.* neque enim magistratus alibi, quàm pro tribunali iudicare possunt. *l. pen. D. de iust. & iure. l. cum sententiam vbi Bart. C. de sent. & interloc. vnde tribunali præesse, & pro tribunali cognoscere dicuntur l. 1. D. de Iud. l. 2. D. de re iudic. sicut & Episcopis vt hospitium sit non longè ab Ecclesia præcipitur à Concil. Carth. c. 7. dist. 41. quibus tamen quocumque diocesis loco iudicare, & tribunal erigere licet. c. cum Episc. de off. ord.*

Prætoria  
etiã ac so-  
lène tribu-  
nala.



in 6. sed delegatis non licet habere tribunal erectum. Trident. sess. 24. c. 5. reuerſi autem ex prouinciis Indices ponebāt insignia. l. 1. & vlt. D. de off. Procons. cessante causa officij, & sine venerationis.

## CAPVT III.

## De Iure iurando per Iudicem præstando.

**A** Iudicaturis apud omnes gentes præstari consuetum fuit iusiurandum. nec antè iudicia suscipere solebant, quàm id conceptis more maiorum religiosè verbis præstitissent. more militum, qui (vt ait Vegetius) non prius militare audebant quàm sacramento militiæ addicti fuissent. & postquam sacramento soluti erant, in hostem amplius pugnare non poterant. Vnde Traianum Plinius dicit consulem electum consule seniore iusiurandum præbente, & solemnia verba præeunte, moribus antiquis stetit. Summa autem iuramenti de seruandis legibus erat. vnde Lilius lib. 31. Caius Valerius Flaccus, quem præfectum creauerant quia flamen Dialis erat, iurare in leges non poterat, Magistratum autem plus 5. dies nisi qui iurasset in leges, non licebat gerere, datus est qui iuraret pro fratre L. Valerius prætor: plebsque sciuit, vt perinde esset, ac si ipse iurasset. & (Asconius in Verrem) sortitione facta iurabāt in leges, vt obstructi religione iudicarent.

Apud Romanos olim in singulas causas sorte Iudices legébantur, & mox in leges iurabant. Vnde Iustin. in l. 14. C. de Iud. Cui. inquit, non est cognitum antiquos Iudices non aliter iudiciale calculum accepisse, nisi prius sacramentum præstitissent? Calculum vocat tabellas quibus sententiam suam inscribebant. Cum Index sit Metellus, inquit Cic. 2. in Verrem, tabellam iudicariam iuratus accipiet. Iubet autem ibi Iustin. vt Iudices in singulis causis iurent, & se dicit rem non nouam, & insolitam facere, sed tamen nouam facit, quo ad Iudices, qui nō in singulas causas, sed in annos aut perpetuò dantur. vnde ibid. Cic. Cum prætor fuerit, non iurabit, quia non est moris.

Conceptis ergo verbis, & tactis sacrosanctis Evangelij, l. rem non nouam C. de Iud. (quia, vt Symmachus lib. 10. epist. 54. licet omnia Deo plena sint, plurimum tamen valet ad metum delinquendi præsentia religionis vrgeri) iurabant

Magi-

1.

Semper  
iusiurandū  
exactum à  
Iudicibus.

2.

Romæ o-  
lim in  
causas  
singulas.

3.

Conceptis  
verbis ad  
S. Euange-  
lia.



Magistratus in leges, & quod iustius & æquius videbitur, se facturos. *Auth. hodie. C. de Iud.*

4. *Ex formula Iustini.* Iurisiurandi exinde formulam sancit Iustin. *in Auth. ut Iudices sine quoquo suffragio. §. sic igitur. & pleniùs in Auth. iusur. quod præstat de his, &c. & in Auth. de mandat. Princip. §. oportet.*

Quò & pertinet toto Iudicij tempore seruatas sacros. literas in loco Iudicij ante sedem Iudicialem, sic, inquit Iust. *d. l. rem attendentes ad sacros. scripturas, & Dei præsentia consecrati ex maiore præsidio lites diriment: scituri quòd non magis alios iudicant quàm ipsi iudicantur, & etiam ipsi magis quàm partibus terribile iudicium est.*

#### CAPVT IV.

#### De Iudicis residentia.

1. *Cogitur intra fines suos reside- re Iudex.* Tempus postulat vt Iudex desideratis iam qualitatibus affectus, potestate honoreque donatus, atque iuratus, ad actionem se accingat. in qua primum in partitione operis locum tribuimus iurisdictioni, & litium disceptationi. Itaque cum extra territorium ius dicenti impunè non pareatur, necessarium est, vt designati Iudices quam primum in prouinciam proficisci debeant. Sic & electi Episcopi nisi intra breuia spacia vt confirmentur, & consecrentur satigerint, iure suo excidunt. *Trid. s. 7. c. 9. s. 23. c. 2.* atque inde Iudices residere intra prouinciam, territorium, urbem sibi creditam, quam primum debent. adeo vt nullus prouinciæ moderator vel Romam sine iussione Imperatoria adire possit. *l. 9. de off. rectoris prouin. nec fines prouinciæ excedere, nisi voti soluendi causâ. dum tamen abnotare ei non liceat. l. 15. de off. Præsidis. vt de clericis c. 7. de cler. non resid.* Conc. Lateran. decreuit, Ecclesiam committi debere tali personæ, quæ residere in loco, & curam eius per se ipsum valeat exercere. quod idem est decretum in ordinationibus regni Gallix anno 1560. vt & Iudices residerent inta districtum, & per se officium exercerent. eodemque modo vetitum est, *Ne clerici vel prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant. & antiquis Canon. Præcipimus, ne conductitiis præbyteris Ecclesia committatur, sed vnaqueque Ecclesia cui facultas suppetit, propriam habeat*



habeat sacerdotem. c. presip. 21. q. 2. Refert Gell. lib. 3. c. 2. tribu-  
no plebis nullum diem Romam abesse licuisse. L. ius lib. 5. Fla-  
mini Diali noctem unam manere extra urbem fas non fuisse.  
Tacit. 3. *Annal.* annuam absentiam, & proinde provinciarum  
administrationem Dialibus non concedi. Et quamquam an-  
tiquitus mandari iurisdictio; optiones sumi, legati suffici, vel  
a senatu legi, assessores accipi, & locum tenentes constitui po-  
tuerunt, tamen Iustin. *Novel.* 134. loci seruatores abrogauit,  
& in defensores ciuitatum eorum functionem transtulit; &  
iam vetuerat antea ne causae omnes, sed nec vllae integrae  
committerentur, nisi exiles, & ob magna Magistratum im-  
pedimenta. *l. 2. c. de pedan. Ind.* sed nec id sufficit Iu-  
stiniano: sed & addidit, vt contestatio nihilominus & defini-  
tius calculus ipsis Magistratibus incumberet. *Novel.* 6. Vnde  
recte hodie existimatur, civilem Magistratum vniuersam ju-  
risdictionem demandare non posse: atque inde forte accidit,  
vt in emendato Codice locus datus non sit titulo de officio  
eius cui mandata est iurisdictio; qui in Pandectis extat. Neque  
titulus de officio eius, qui voce Praesidis administrat, contrarium  
arguit: vtpote qui non probet Praesidem vices suas com-  
misisse; sed factum id erat a Principe; aut Praefecto pra-  
torio; Praeside alibi ex eorum nutu distento, vt recte  
Cuiac.

De Magistratu civili ago. nam Episcopi & iure possunt, &  
passim solent iurisditionem suam vniuersam demandare  
Vicariis, seu Officialibus: qui ideo cum ipsis vnum tribunal  
constituere dicuntur. c. Romana. de appel. in 6. cuius rei ratio  
facilis est, quia potestatem suam Episcopi a Christo Apo-  
stolis & successoribus datam plenius possident, quam admi-  
nistratores Magistratum civilium. vt videmus hodie Du-  
ces, Comites, Marchiones (qui vt olim nomina officiorum  
erant, ita nunc ipsius imperij & iurisditionis propieta-  
tem implicant,) Magistratus, Praetores, Iudices & quorum-  
cumque nominum officiales, secus quam per leges licuit olim  
constituere; eisque vniuersae iurisditionis exercitium de-  
mandare.

Et quoniam nemo duo loca implere potest, & duobus  
locis in solidum residere, cuiusque duae militiae obtigerunt,  
siue ex armatis, siue civilibus, debet alteram eligere, & alte-  
ra deponere. *l. 5. c. qui militare poss.* h. 2. sicuti qui duo Ecclesia-  
stica beneficia consecuti sunt, quae utraque residentiam exi-  
gunt;

K

gunt;



gunt. c. de multa. x. de prob. si tamen militia, qua decedendum est, inter eas habeatur, quas licet distrahere, clementia Imperatoris concedit eam in alium transferre, & pretium consequi. d. l. 5. quod quia in beneficiis simonia ratio non admittit, per adeptionem secundi vacat ipso iure primum. d. c. de multa. subtilitas tamen cupiditatis inter concessum titulum secundi, & aditam possessionem pacificam cum fructuum perceptione, resignationem prioris pensione reservatâ indies intericit. an satis ex mente canonum, examinet is cuius interest; cum more maiorum semper soleat causa pensionis à reservante adici, ne resignans nimium patiatur dispendium; videatque ne ex secundo simul & primo nimium affectet compendium.

6. Sed nec Assessorem quem esse duorum Iudicum permittit *Uti nec plures, nemo C. de assess. & hodie Conciliorum instructiones vetant* fenatores ab aliis pensiones habere, aut consulere clientibus. *ribus unus assidet.*

### De causis Litium.

1. *Multa litium scaturigines.* Scaturigines Litium multimodæ sunt, tum publicarum, tum privatarum. remedia etiam multa, sed nulla hactenus tam efficacia inuenta, quæ radicitus noxias eas herbas possent euellere. nisi apud eas fortè gentes, ubi neque diuina, neque humane sunt leges, sed omnia regum manu ac Magistratum arbitrio gubernantur. *Regum arbitrio lites dirimebantur,* inquit Dionis. l. 10. *Peccatum,* verò inquit D. Paulus ad Rom. 7. *non cognoui, nisi per legem.* Vbi ergo publicæ & priuatæ res ut libitum est reguntur, his illisue addicuntur; haud equidem magnam operæ pretium est varios litium anfractus ambagesque auerruncari. Vbi vero ex præscripto res publica dirigitur, priuatorum iura legibus distinguuntur, vindicantur, possidentur; ibi partium conflictus, illarum auxilia in rem suam verimque deuocantium, atque interpretantium, necessario consequuntur: Magistratum ac Iudicum intercessione opus est, copiisque auxiliaribus patronorum, syndicorum, procuratorum, scribarum, notariorum, sollicitatorum, aliorumque id genus plurium: qui sæpe pro corrupta hodie natura vitia sua simul in scenam deferunt. vnde vulgatum pridem est, multitudinem Legum, Iure-consultorum, ac Medicorum indiciâ esse Reip. male habentis

2. *Restringi eas oportet, ubi solli nō possunt.*



behtis. Sed quandoquidem ita cum rebus humanis agitur, ut  
 sine morbis, sine litibus esse non liceat; illud tantum his, quo-  
 rum ea partes sunt, curandum, ut corpora, ut naturalia, ita po-  
 litica sic purgentur, ut noxii humores, qui non omnes tolli  
 possunt, ita tamen cohibeantur, ut quam fieri potest minus  
 numerosi, minus periculosi morbi repullulent, praesentes eu-  
 rentur, futuri restringatur, medici in eam rem habeantur op-  
 timi, probatissimae medicinae. Medicos politicos, Magistratus  
 inquam ac Iudices prioriam libro descripsimus, quales si habe-  
 rifemper possent, optimè de Repub. curanda sperare nos ius-  
 berent. remedia, ac medicinae pro morbis publicis, litibus, in  
 quam, ac cladibus publicis tertius & quartus liber dabitur.  
 hic porro secundus litibus priuatis; ut quae eliminari non possunt,  
 ita habeantur, ut quam minimum noceant, quam rectif-  
 simè atque expeditissimè peragantur. *inquit sup. anagi sup?*  
 Lis nulla, toga rara refertur a Poëtis ad vitam beatitudinem  
*Qui tecum, inquit Christus, reult iudicio contendere, & tunicam  
 tuam tollere, dimitte ei & pallium. Matth. 5. Sic & ridet Marcialis  
 Gargilianum, inquit, qui cum vinctus, & demens viginti litigat annos, in  
 obitu suo, inquit, cum vinctus Gargiliane, licet breuodolens  
 Vlpianus verè eundem cogitationem eius, qui lites execra-  
 tur, non esse mituperandam tradidit. l. inem. s. 2. §. 4. D. de alieni  
 Iud. mur. equi. & Paulus hoc ipsum quod a lite disceditur in cau-  
 sam legitimam transactionis esse ait, licet res nulla sit inter-  
 media. l. in summ. de cond. indeb. Peruersi suscitant lites, Prouerb. 16.  
 Vnde vix vir bonus praesumitur frequens litigator, & scrupulosi  
 questionem mouent, an Christiano liceat litigare, & D.  
 Paulus quidè Corinthios reprehendit, litigantes apud infide-  
 les. 1. Cor. 6. act. 17. c. alio. 9. q. 1. Sed tamè & Iudicia instituit  
 Deus, Iudices deligendos expressit Deut. c. 1. Exod. c. 18. Gen. c. 9.  
 & seipsum assidere professus est. Ps. 82. Prou. 8. neque quisquam  
 iniuriam pati tenetur, ac benorù spoliatione, neque ea con-  
 silia amplecti, quae non ad praescripta pertinent, sed ad perfec-  
 tionem Christianam. Non excusauero tamen pronum ac fa-  
 cilem litigatorem, de re modica contendentem; minus, quae  
 plus habeat expensarum, quam demolumentis; minimè verò  
 eum, qui causa suae iustitiae in conscientiae suae arbitrio non  
 prius examinauerit, ac ne punito affectu obceetur, virum  
 probum, Aduocatū, comprimis eruditum, cui genuinum  
 controuersiae ius statim veridicè explicet, consulerit; cum*



porrò expenderit, an ius, quod ex facto pendet, probare It-  
dici poterit. ne illum aduersariumque molestiâ, semetipsum  
sumptibus inutilibus afficiat. Tandem cum neque tentata con-  
cordiâ componi res poterit, ita in litē descendat, illiusque telâ  
pertexat, ut non tantum nihil, quod iniustum sit, committat, sed  
quaquâ fieri poterit, charitatē fraternâ nullatenus offendat.

5.  
Meum ac  
Tuum pri-  
ma causa  
litium.

Plerumque enim ad hæc ciuilia duella deuenitur ob huma-  
na vitia, & maximè cupiditatem, quæ terminos *Mei ac Tui*  
numquam satis obseruet. mens auari semper aurum, semper  
argentum litit, semper redditus computat. *c. sicut hi. dist. 47. diuitias,*  
*litium primitias, per fas & nefas per lites quærit. c. nonne*  
*velis. dist. 37. Unde contentiones in vobis, ait D. Iacob c. 4.*  
*nisi ex concupiscentiis vestris?*

6.  
II. Igno-  
rantia.

Accedit ignorantia, veritatis, & Iustitiæ inimica, iusti atque  
æqui ignara, quæ litigantes in tenebris Andabatharum more  
pugnantes simul committit: quæ si bonâ fide tantum errat,  
quamquam nec satis consultaerit, si non aliquâ veniâ, mino-  
ri tamen irâ digna est, quam quæ est affectata. *Cunctos, inquit*  
*Cicero de leg. consulunt, an lex sit, quæ suo possit suffragari appetitui,*  
*& cupiditati. quo sit, ut ipsa, non Iudices periri, viam litigijs præsent.*  
eoque laborare soleant, qui cum de iure non satis gustarint, de  
pulvere pratico nonnihil sordidij, penè estimant se nihil ne-  
scire; longè ab iis distiti, qui cum iuuentâ & seniû in studiis cõ-  
sumpserunt, semper tamè exclamât, *Quantum est quod ignoramus!*

7.  
III. Pau-  
peritas.

Succenturiatur proximè his causis litium pauperitas. eas gi-  
gnit, ab iisque & ipsa gignitur, mater litium, & filia litium.  
*Magnum pauperies opprobrium iubet.*  
*Quidvis & facere, & pati.*  
*Multa sunt, inquit Lactant. lib. de Ira Dei c. 26. quæ ad peccandum*  
*imitant, etas, violentia, egestas, occasio, natura. Sed & vice versâ*  
*diuitiæ inflant, superbia alios, iustitiâque despiciunt, in lites*  
*voluntur, Scultitiâ patiuntur opes.*

8.  
IV. Ebric-  
tas.

Sed & pauperes Iuris subsidijs pro libidine litigandi abutu n-  
tur: cum enim sciant Iudices debere pauperem iuxta ac ma-  
gnū iudicare, ei que procuratorē & aduocatū dare, temerari as-  
lites mouent, nihil detrâhi sibi, accedere autē jure vel iniuriâ  
sen transactione extortâ posse iactant, damnum non pati, lu-  
crum facere posse: quæ improbitas, si quando detegatur, se-  
uerè est puniendâ, nullo pauperum priuilegio dignâ.

Denique apud Septentrionalès populos, quos climatis fri-  
gus



gus aduentitio calore sapius refici suadet, poculorum frequentia sapius rixas, pugnas, lites creat. Ebrietas comes est furoris. *c. venter 37. dist. c. sanè 15. q. 1.*

*Vt cuique libido est,*

*Siccat. inaequales calices conuina, solutus*

*Legibus insanis.*

Sed verò, quod sequi non rarè solet,

*Natis in usum latitiae scyphis*

*Pugnare, Thracum est.* si modestè scyphi porrigantur, moderatè epotentur, sapè solent animos conciliare, rancores euellere, odia remittere, iniurias tollere, lites excindere, sed eiusmodi remedium isti malo adhibendum est, quàm cautè tractanda nouacula.

Proprius autem litem parturit & educat malitia partium litigaturientium, & subsidiariorum. Anthon. Faber / 9. C. tit.

22. duas fere statuit causas; Primam, quòd aduersarium neuter inuitet ad concordiam; Alteram, quòd ita litem tractent,

quasi rerum suarum vltima cura sit, ac breuiorem vitam, quàm litem malle videantur, improbo ac malitioso ingenio, inuitis legibus, & Magistratibus eam protelent. De concordia semper tentanda / 1. c. 26. latè diximus. Tela Iudicij, vt sine vitij forensibus texatur porrò semper est cauendum.

malitia sanè, & nequitia generatim abesse debet, atque à Iudiciis calliditas omnis, versutia, atque dolus, cui accedit calumnia, quæ propriè est in litibus per fraudem & frustrationem vexatio. / *si caluitur de verb. sign. vnde iura malitiæ ac calumniæ abfuturum juramentū prædicant & ridet Martialis;*

*Et delator es, & calumniator,*

*Et fraudator es, & negotiator,*

*Et fellator es, & lanista; miror.*

*Quare non habeas, Vacerra, nummos.*

Apage qui ita litigant, ideo litigant. Verat D. Paulus 1. ad

Thessal. 4. nequis opprimat, aut circumueniat in negotio fratrem suum. Neque verò dolo, & malis artibus causam bonam licet tueri, nisi admodum circumspectè, atque ita omnino, vt prudentia serpentina numquam comitè non habeat simplicitatem columbinam. *qua de re Conar. latè, 1. Var. c. 2. aliique.*

Falsitas, mendacium, simulatio omnino à Iudiciis absint,

testes falsi, & instrumenta, quin & allegationes, quæ vero non subniti sciantur. Sed & illa arcana, quibus aliud dicitur,

aliud intelligitur. *Vir bonus, inquit Gellius, lib. 11. c. 11. prestare*

*debet,*

*9.*

*Vi falsitas, mendaciū, simulatio.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*

*9.*

*debet,*



debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat. & Plautus in  
 mercator. Nihil scelus quoque videtur, me perenti proloqui mendacium, in  
 alius Vanitas, inconstantia, stultitia. Et mentiri quidem in Iudi-  
 cio mortale, nisi à circumstantia excusetur, peccatum esse  
 multi tradiderunt. in c. ne quis arbit. 22. q. 2. c. quisquis. 11. q. 3. c. 1.  
 de crim. falsi. Socrates sanè mori, quam mendacio se excusare  
 maluit. & Papinianus itidem mori, quam fratricidium defen-  
 dere falso iure. & Thomas Morus quam regio diuortio iniu-  
 ste assentiri, ut alij tum assentatores.

10.  
 Ut litigan-  
 tes laborant  
 suis vitiis  
 ita & qui  
 eis subser-  
 uiunt.

Nunc porro quod attinet ad subsidiariorum vitia, creden-  
 dum est non deesse qui partium affectus induant, instillent  
 ipsi, ac nutriant,

Quae lites pendere diu, vindemia quaedam est.

Quibus, ut describit Cassiod. oculi Argi, manus Briorei,  
 Sphynгарum vngues, periuria Laomedontis, Vlyssis argutia,  
 Sironis fallacia, fides Polymnestoris. qui in litibus nihil cu-  
 rant praeter bursam hydropicam, clientes exugunt, ut

Non in furā eadem, nisi plena cruoris, hirudo,  
 qui agerunt linguas suas loqui mendacium, qui nec litigaturos  
 ad litigandum inducunt, iniustam causam ut iustam suadent,  
 lites ex litibus Terant, etiam adhuc studia ut Apollines vendi-  
 tant, conuitiis & strophis litigia cumulant, procacitate ac  
 maledicentia animos exacerbant, piratica pactione quotam  
 stipulantur, multis inuolueris, incidentibus quaestionibus,  
 exceptionibus incompatilibus, supplicationibus non ne-  
 cessariis, falsis criminibus aduersus testes obiectis, malitiosis  
 Iudicium reculationibus, prauaricationibus lites agunt, &  
 augent.

Sed & Procuratores sunt quidam concinnatores litium, ac-  
 cipitres pecuniae, mures aliena rodentes, rabulae, ad rauim vs-  
 que ut Stentores clamantes, vultures togati, corui fori, sycophan-  
 tae, Phormiones. quibus succedunt litium instigatores seu  
 sollicitatores, Octauio Vestrio Ianizari dicti, cautelarum ar-  
 chitecti, consiliosum inquisitores subtiles, & detectores.

Succenturiantur & Notarij quorum saepe imperita nota  
 armamentaria sunt litigantium, pereunt contrahentium &  
 testantium voluntates, dum saepe clausulas, quarum vim ig-  
 norant, actum contrarias, aut a mente contrahentium alienas,  
 instrumentis suis inferunt, sermonem ambiguum proferunt.

11.  
 Ignorantia  
 & negligē-  
 tia iudicū.

Ad extremum Iudicium ignorantia, & negligentia qualita-  
 tumque, quas priori libro exegimus, defectus, litibus alienis

sub-



subseruit; quarum protelationem illis Iustinianus in l. prope-  
 randum C. de Iud. non parum affricat. Nullus, inquit, tam audax  
 inueniatur, qui possit invito Iudice litem protelare. Rapaces, violen-  
 tos, ac sordidos omitto, & pretio additam fidem, atque reli-  
 gionem habentes, Omnium, inquit Cicero, rerum turpissimum,  
 maximeque nefarium, ob rem iudicatam pecuniam accipere. quò ducit  
 nundinatio Magistratum, omnis improbitatis principium,  
 & finis. Nouella 8. quibus nefas videri non potest quod eme-  
 rit vendere. & si reuera turpiter censendi sunt accipere.  
 e. non sum 14. q. 5. unde Isai. q. 1. Principes tui infideles, socij furum,  
 diligunt minores, & sequuntur retributiones, vt equum tollant, non  
 equum dicunt, ad dicunt, casus pro amico fingunt, refingunt,  
 neque pro diuersis litigatoribus idem iudicant, cum vnicum  
 & idem verum sit, & iustum. vel non ausi offendere, quem-  
 quam litigantium, multas ipsi ambages mæandrosque quæ-  
 runt, & in ipsis vitiligantes non excutiunt, inferioribus Iudi-  
 cibus sine causa inhihent, causasue auocant, contra l. nemo c. de  
 iurisd. omn. Iudic. Conc. Trid. sess. 24. c. 20. Denique negligentia  
 sua & somnolentia lites quasi veterno torpidas ad finem non  
 propellunt, aut ipsi ius dicere tergiversantur, magno procul  
 dubio delicto. l. si quando. C. de rest. incertas & ambiguo ser-  
 mone plenas dicunt sententias, vt Oedipo sit opus, nonisque  
 sportulis; aut ita festinant, vt cecos pariant catulos. Omitto  
 imperitiam, & erudiri negligentium ineptiam. quò spectant  
 multa passim hodie inferiorum Iurisdictiones, glebis ascri-  
 ptæ, quibus præsent ad stiuam nati, & qui non nisi alieno  
 iudicio sapiant. Quibus tamen aliquid tribuendum est, pro-  
 pter superiorum distantiam, & sumptuosas prosecutiones;  
 dummodo de re ciuili, & modici momenti agatur. Nam cri-  
 minales certe maiori maturitate opus habent, si æquum blim  
 visum fuerit ciuem Romanum non nisi à toto populo Rom.  
 capite posse damnari. Sed de his mox plura dicendum.

Nunc porro coronidis loco & id dicendum, populam ip-  
 sum litium non exiguam causam esse, quando longo usu &  
 abusu consuetudines irrationales introduxit, ac mordicus  
 defendit, quibus irretiantur litigantes, & difficulter iure  
 saluo extricantur. Eiusmodi in criminibus sunt multorum  
 scelerum impunitas, præsertim blasphemiarum, homicidij, pecu-  
 niaria dumtaxat punitio, frequens remissio, beneficij negli-  
 gens, aut nimis festina punitio. in quo crimine credere illud  
 Iuuenalis licet:

K 4

Nulla

12.

Irrationa-  
biles con-  
suetudines.



*Nulla unquam de morte hominis cunctatio sera est.*  
 Sagarum per aquam probatio, correarum delationi seu nominationi nimia fides tributa, nouarum nuptarum satrapæ delibatio aut redemptio, oblatum vasallis à domino matrimonium vt debeant inire, ne filix sine regis licentia elocari possint, ne competenter à parentibus dotentur, vt adulteria, nisi coacta non puniantur, vt rei sine defensionibus torqueantur, vt damnatus ad mortem, si à virgine in maritum petatur absolutus sit; nisi fortè in minoribus delictis; carceratorum dura tractatio, naufragorum direptio, aduenarum non æquo cum incolis iure exceptio, luxus publicus, & prodigalitas, conuiuiorum, vestium, ædificiorum nimius sumptus, quotidiana nouitas, vnde vsura, debita ingentia, quæ viui, aut mortui nequeant exoluere, inde cessiones, & hæreditatum repudiationes, creditorum de concursu & præcursu contentiones ita assidua, vt in prandio obsonia, oppignorationes, fidei iussiones, mutuo malo, dum cuique suum non sufficit, pereuntium, immoderata dotes:

*Veniunt à dote sagitta.*  
 tum priuata, cum dotata regit virum coniux; tum publica, exhaustis parentibus, ac ad egestatem reductis, & creditoribus mariti post carecta reiectis, vt Iuuenali iam non sufficeret

*Protinus ad centum, de moribus ultima fiat*

*Questio.*  
 Mille non sufficiunt, priuati summas hodie excedunt, ad quas ante pauca secula non ascendebant Reges & Principes, vt filiarum Regum Gallix dos ad centum millia Francorum antiquitus restricta. Lomneau *en ses Maximes* l. 1. c. 7. at mox

*Infelix humili gressu comitatur egestas.*  
 Inde sænus animæ funus, quod Germanis olim Tacitus ignotum tradidit, at hodie nimium vbique notum; omnesque depascitur nationes, etiam sub nomine eius quod interest, reddituum, censuum, aliorumque titulorum, quos hinc paupertas, inde cupiditas inuenit. His inquam vitiis atque consuetudinibus, quas populus aut probat, aut non satis improbat & excindit, seu qui eius nomine rerum potiuntur, causam litium præbent, struem immensam aggerunt.

13. *Processus.* Atque hisce potissimum causis originem ac generationem accipiunt lites, aluntur, longæuam vitam, ac ferè immortalem accipiunt à tela & filo quo ducuntur, & producuntur in Nestoris annos; ordine inquam iudiciario ac processu, in cuius



cuius vestibulis, ac porticibus tamdiu sæpè partes deambulant & concurrunt, vt pluries amplius temporis spatium insumant, quàm Iustinianus indulserit causis ipsis finiendis, earumque instantiis perimendis; tum quòd vel Iuris ordo non seruetur, vel scrupulosè nimium seruetur, non amputatis omnibus ambagibus non necessariis ad litis contestationem, causæ statum ritè cognoscendum, definitiuum calculum porrigendum, eiusque tandem executionem maturandam, tot subterfugiis, dilationum comperendinationibus, & protestulum gryphis intricantur lites, vt ex labyrintho Dædali citius euadas, & nodos Gordios exsoluas, quàm has aranearum telas.

Sed & primam instantiam tardo molimine decurrissè non sufficit; succedunt appellationes, causæque de nouo aguntur, maiori animo quàm de Marcello Hannibal prædicabat, quòd siue vinceret, fortiter victis instaret; seu victus esset, instauraret cum hostibus certamen, vt nulla litigantibus quies, nisi post annos Platonicos apud Rhadamantum sponderi possit, vsque adeò, vt altius iam progressum sit litium, & fori malum, quàm vt curabile esse credatur. *Desinit, inquit Senec. esse remedio locus, ubi que fuerunt vitia, mores sunt.*

## CAP. VII.

## De Litium remediis.

**N**ihilominus quod obtineri omni ex parte non potest, saltè vt quatenus potest, & quo se vsq; vires humanæ extendunt, habeatur, satagendū est: nimirū vt scaturigines obturentur, vnde lites exiliunt; & quæ eruperunt, ita excipiantur, vt quàm minimo tempore viute permittantur, vitiorumque humanorum, ex quibus nascuntur, à quibus nutriuntur, poenæ à legibus propositæ diligenter infligantur, quin & exasperentur edictis Principum, Magistratum decretis, Iudicantium arbitriis, vt quanto altius cœtit malum, tanto penitiùs eradicetur.

Igitur primum aduersus lites remedium est Patientia, quæ ea, quæ vitare non possumus, leuiora facit. eam totius Philosophiæ robur meritò vocat Plato;

*Patientia cunctos* Hos superat casus

1.  
Remedia  
aduersus  
lites: 1. Pa-  
tientia.

nec



Nec malè quidam oculum vitæ prudentiam, sal vitæ amicitiam, baculum vitæ Patientiam dixit. Sed ab eo Philosophico remedio nec longè abesse oportet Theologicum aduersus tum publicas tum priuatas lites; quod quotidie Ecclesia in Hymnis Ecclesiasticis vsupât, Deum precando, vt extinguat flammâs litium, ne lites horror infonet, dissoluât litis vincula, adstringat pacis fœdera. Accedant his Concionatores, & auditoribus suis frequenter inculcent illud *Ecl. 28. Abstine te à lite, & minues peccatum*.  
 2. *II. Malitia vindicta.* Politica porro & iudicialia remedia sunt, vt in primis malitia ipsorum litigantium omni modo compefcatur. ac præsertim vtile foret restituto Censorum officio acriter eam notare, in partiumque vitia, malignitatem, ebrietatem, iurgia, periuria, religionis contemptum animaduertere, & quæ patet officium Iudicis his vitiis, vnde fluant lites, obistere, & diuini verbi præconiis earum in sacris sermonibus detestationem commendare. Iudex porro in iis, quæ coram se occurrunt, nequâquam desit, atque litigantium temeritatem, sycophantiarum, redemptorum litium damnatione in expensas, & damnâ, infamiâ in bonæ fidei iudiciis, pœnis plus debito petentium & Sacramenti religione deterreat, non dissimulatis pœnis quas leges proponunt:

Primò, ne potentiores aut sycophantæ transcriptis in se aliorum actionibus vexent, atque in primis Aduocati alijue pragmatici cum litigatoribus quocumque modo paciscentes, sub eorumque vmbra & nomine alios per fas & nefas exagitantes. *l. 6. §. 2. l. 5. C. de postul. l. 53. D. de pact. l. 16. §. 1. l. 7. D. mandat. l. 1. §. 1. D. de ext. condit.* Deinde Iurifurandi religione litigantes compefcant; quod maximum dicitur mendacium causarum remediū Iustinus appellat. *l. 2. §. C. de iur. p. n. q. ad. quod non malè in vsum atriùs reuocandum contendit Thpk. ad l. 1. §. 1. q. 1. quâuis hodie consuetudine penè emortuifuerit; sed talis consuetudo non mouit Lucium II. *in l. 1. c. 1. de iur. iur.* neque ius prius *in c. 1. §. 2. x. d. tit. Bonifac. VIII. in c. 1. §. 1. fin. eod. in. 6. in iudic. malitiosibus**

Tertiò, vt quem temerè aduersarium suum in iudicium vocasse constituerit, viatica, litisque sumptum aduersario reddere iubeat. *l. 1. §. 1. D. de iud. id est, damnum omne, & impensas litis. l. 1. D. ad 5. C. Turp. §. 2. Instit. de pœn. temerè litigant.* quâuis iniuriâ iustam causam putauerit se habere, & in medio litis cursu iniquitatem deprehendens, peruicaciter propositi tenax fuerit



rit Vasq. l. 1. *controuers.* c. 41. Guid. Pap. q. 137. & si quis vexandi aduersarij causâ instrumenta, quibus ius suum liquet, serò protulerit, quamuis vincat, expensis mulctetur. l. 4. *C. de fruct.* Eòdem pertinet, vt in causa appellationis non expensarum tantùm ratio habeatur, sed & mulctę temerario appellanti indicendæ. l. 6. §. 4. l. 19. *C. de appel.*

Nec abs re foret in vsum reuocari plus debito petentium, & in quibusdã causis, quę fateri oporteat, inficiantiũ pœnas, & infamiam in actione bonę fidei damnatorum, quorum tanta hodie temeritas non esset, si ex talibus iudiciis notandos sese, atque ne ad honores dignitatesque prouerentur impediendos, præscirent. multi potius transactionis alicuius periculum facerent, quàm atre notę aleam subirent. nunc perinde concurritur, ac si athletę læudis promerendę gratiã è carceribus proflirent.

Aduersus Cupiditatem admodum profuerit, seuera animaduersio in eos qui *Mei ac Tui* terminos improbè mouerint; furtorum, rapinarum, damnorum iniuriã datorũ, aliorumque priuatorum delictorum rei fuerint. quò refertur & illorum nequitia, qui sub velamine contractuum, aliena rapiunt. Vnde tam seriò leges ex bonæ fidei contractibus damnatos infamiã notant. quæ si in vsum reducerentur, magna litibus amputandis nouacula daretur. in cæteris contractibus quacumque aliã ratione, nequitia aliena concupiscentium coërcenda est.

Huc etiam refertur, vt Ecclesiastici ac seculares Iudices intra veteres Iurisdictionum suarum terminos se contineant, placidè alteri alteros ferant, ac iuuent; cuique suum gladium relinquunt, cuique suus sufficiat. Dei ordinationi resistit, qui potestatis sic diuisæ terminos transilit. Absint malè illi feriat, qui Imperatorem optant, qui Ecclesiæ jurisdictionem auferat: absint & illi qui vtramque extra finis spiritualis necessitatem ad clerum trahant; absit maximè Parthenius ille, qui litibus publicis exscindendis summum illud remedium adfert, vt Cæsar Pontificiam omnem auctoritatem ad se trahat. cùm nihil potentius esse ad publica diffidia, quàm huiusmodi de rebus Imperatorum ac Pontificum contentiones, tristia plurimum seculorum exempla docuerint.

Porrò Ignorantia etiam castiganda est eorum, qui temerario furore in lites proprias, aut alienas prouunt: qui non sine fucis de re consultant, & verum ipsum sine vero studio scire,

3.  
III. Cupi-  
ditatis.

4.  
IV. Ignorantia.



scire, aut potius nescire quærunt.

5. *V. Pauper-  
ratis me-  
del.a.* Sed & Paupertas ad res nouas & lites mouet, atque illatas  
maximè retardat. Vnde Plato: *Pellenda ex ciuitate diuitie, pellen-  
da etiam paupertas: illa enim delicias, otium, & ambitiones adferunt,  
hæc autem lites, seditionem, & turpem questu.* De ea è Repub. tollen-  
da l. 3. c. 9. fufius. cum illa inter litigantes priuatim confide-  
ratur, occurrit illud; *Iudicia in iustitia pauperes.* *Isaie. 11.* beni-  
gnitate legum retardanda est, ne in lites ebulliat, rescriptis  
moratoriis, dilationibus annalibus, quin & quinquenniali-  
bus iuuanda. quam non decoctor luxus, sed fortunæ asperita-  
tas infelicibus debitoribus aduexit. satius enim ita paupe-  
rem subleuari, cum aliquo incommodo debitoris, quam  
vtrinq; obstinatis animis collidere, & post longos insuper  
sumptus inanem facere actionem, quam debitoris excludat  
inopia. Sed & pauperibus actoribus & reis subueniendum à  
Iudice, ne ius suum teneantur derelinquere indiscussum, iussis  
Aduocatis, Procuratoribus, Scribis, Notariis, aliisque Iustitiæ  
ministeris, vt gratis eorum causas amplectantur, atque pro-  
moueant, quas iustas repererint, recepturi mercedem vel à  
Deo, qui sibi factum imputat, quod vni ex minimis factum  
est; vel à Republica, si ita laudabiles eius mores ferunt; vel à  
paupere, si ex lite victor iustam prædam retulerit, vel aliàs ad  
pinguiorem fortunam deuenierit.

Meminerit tamen semper Index illius *Exod. 23.* *Pauperis  
quoque non miseraberis in iudicio: sic sumus viduis in iustitia debitores,  
quod aliis iniustitiam facere non debemus.* *et ex tenore x. de for. compet.*  
Iustam igitur causam pauperum amplectantur, ne oppri-  
mantur, non opprimant, ne vexent, ne ad iniquam transactio-  
nem adigant aduersarios.

6. *VI. Aduer-  
sus ebrie-  
tatem.* Lites ab Ebrietate nascentes compescuerit, qui ipsam  
ebrietatem, quo in Imperio pertinent constitutiones editæ in  
Comitiis Augustan. an. 1500. 1530. 1548. *tit. de compot.* & apud  
Belgas Caroli V. quæ & decretum, nullum crimen per illam  
excusari, sed duplici pœnâ plecti. & Maximilianus II. ebriosos  
ab Imperij officiis exclusit. Basilides Moscus publice ebriosos  
in carcere impedit, neque emisit, nisi triduo ante paschæ  
Iurgia, pugna, lites coram Baccho, ac deinde Iudice excitatæ,  
cum omni acerbitate inspiciendæ sunt, improbitas pœnitenti-  
am impit, non vtilia aliam generet. *Potto Ignorantia  
non tunc aliàs iniqui modis ex ebrietate lites tentandæ sunt, vt  
condonari sopiantur: quod si quis renuerit, tum mihi iustum,  
quod*



quod aliàs dubium, Anthonij Fabri iudicium l. 9. *Cod. tit. 22.* vt re-  
nuens postmodũ siue superet, siue cadat, semper expensas luat;  
vt de contumace leges statuerunt. Rectè Aristoteles 8. *Erbic. c. 1.*  
& 2. *Politic. c. 2.* ait, legum latori circa amicitiam magis & concor-  
diam, quàm circa iustitiam studendum. Archidamus Rex Laced.  
duos amicos litigantes in fanum vocauit, arbitrum sumere iussit,  
ipse sumptus, vetuit inde discedere, quoad in amicitia bonâ fide  
rediissent. vt non adeò aliquando ridicula sit cautela Capollæ  
Iudici permittentis litigantes in carcerem compingere, donec  
conuenerint. sanè in re liquida quemquam ius suum cogere ab-  
dicare iniuria fuerit. in obscura lite sumptibus, incommodis,  
professionis suæ quemquam lucrorumque impedimentis exime-  
re, publicè priuatimque vtile. Noui viros quosdam præclaros,  
qui, inter mercatores nostros præsertim, arbitri nodos ad modũ  
Alexandri discindere, quàm apices & argutias persequi malue-  
runt. quod vtrisque fatius esset aliquid de jure remitti, quàm mo-  
râ, lite, mercaturæque impedimentis retineri. neque ab eo agen-  
di modo admodum dissidet *c. nisi essent x. de præbend.* & laudat ibi  
Innocentius III. etsi non ex Iurisdictione, sed tanquam ex proui-  
dentia factum.

Lites concinnare, telam malitiosè texere, fila subtilia necte-  
re, calumniari, tergiuersari dolis, malis artibus grassari, falsitate,  
mendacio, simulatione obrepere, vera falsis intexere, falsa veris,  
laruam induere, personatum agere, omninò præcauendum est.  
nuda est veritas: veritatis amantes Iudices si terribiles se iis præ-  
buerint, qui his vmbriis causam suam commendauerint, faciliè eas  
noctuas dissipabunt. si sola Catonis præsentia Romanæ iuuen-  
tutis insolentiam potuit in theatro Veneris continere. nec dubi-  
tabunt id sibi incumbere, qui memincent se iurare se *cum verita-  
te lites dirempturos. l. rem non nouam. C. de Iudic.* adeoque id affecta-  
tuos quod eò ducit. cui quidpiam demandatum est, ea omnia  
consentur esse commissa, sine quibus ad alterũ perueniri non po-  
test. Ea igitur omnia, sine quibus ad veritatẽ perueniri nõ potest,  
omnibus eamodis quærenda Iudici vmbre, ac noctuæ discutien-  
dæ. inde juramentũ veritatis, quæstiones, & tormenta, à legibus  
inuenta sunt. & testes censuris ad veritatem dicendã coguntur.  
*x. de test. cogend.* & si veritatem peruerterint, falsi pœnâ puniun-  
tur. *l. 4. §. 1. ad leg. Cornel. de fals.* Falsus orator caret impetratis.

Sed & qui Iudici mentiri præsumpserit, causa vt cadat, in pari  
vtriusque partis casu, quasi contra mendacem sit præsumendum,  
admodum ratio suadet. Sed & pœnâ mentienti in iudicio con-

L

stituta

7.

VII. Ad-  
uersus Iu-  
dicij pro-  
cessu vi-  
tia.



stituta est, de qua Tuscus *V. Mendax. concl.* 188.

Enimverò accuratissimum remedium foret iterum Censorum hîc officium impendere, qui litigantes tam principales, quàm subsidiarios, mendacio, & quæ eò refertur, simulationi deditos notarent, ac censoriâ pœnâ coercerent.

8. Quod nunc pertinet ad subsidiariorum vitia; Ad officium Iudicis pertinere tradit *Vlp. l. 9. §. 2. D. de offic. procons. non dissimulare si quos causarum concinnatores vel redemptores deprehendat: Si Iudex, inquit Iustin. Authen. de Iud. c. 7. aliquam senserit malignitatem ab aliquo ministranti fieri, expellat quidē auditorio suo eos, qui non cū vtili opinione causis rotuntur.* Incumbet ergo ei vt Procuratores, Aduocatos, aliosq; litium subministros intra legum præscripta coercet, ne cauillentur, malignentur, tergiversentur, ne lucro suo ciuilia illa bella ferant, aut gerant. & Procuratorum quidem, vt hodiè sunt ingenia, sæpè lucri causâ, sæpiùs negligentia multus sudat labor in fuga reorum, in texendis dilationibus, proferendis iis in ferias aliosque terminos, quibus condemnatio, quam ex longinquo vident, proregetur, qui etiâ actorū partes agunt, dilationes à reis petitas, ita oppugnant, tanquam qui vincere nolint; vtpotè salariū aucupantes in singulos terminos constitutum; & cū causam, litē, totumque negotiū procurare deberent, vix aliud agunt, quàm vt terminos iudiciarios obseruent, clientibus curam, & sollicitudinē causæ, & eos frequētandi necessitudinē relinquunt. Iudicis erit sordidē malignū hunc animū seriò compescere; consuetudinē malignē sordidā abrogare, vt, quod voluerūt enixè *Impp. nemo ex industria protrahat iurgia; nam si Iudices, inquit Iust. in l. 11. §. 1. C. de Iud. noluerint, nullus tam audax inuenietur, qui possit inuito Iudicellitē protelare.* Iubet proinde *Conc. Trid. ses. 25. c. 10. in fin.* Iudicibus omnibus terminandis causis quantā fieri poterit breuitate studeāt, ac litigatorū artibus, seu in litis cōtestatione, seu alia parte differenda, modis omnibus occurrant. & sicut iure ciuili causis terminandis, seu instantiæ finiendæ terminus fuit præscriptus; ita idem *Conc. ses. 24. c. 20.* mandat, vt lites omnes intra biennium terminentur, alioquin liceat partibus superiorem Iudicem adire.

9. In Aduocatis porrò cauere etiā Iudices conuenit iurē iurando in singulas causas *l. 14 §. 1. C. de Iud. si videbitur exacto, ne causæ improbè patrocinentur, siue ab initio, siue postquam progressā lite talem deprehenderit. sed neque vanā spe fallant litigantes, vt Ciceronem imitentur, qui lib. 2. de Orat. ita de se refert: Soleo dare operam, vt de sua quisque re me ipse doceat, & vt ne quis alius adsit, quò liberiùs loquatur, & agere aduersarij causam, vt*  
ille



ille agat suam, & quidquid de re sua cogitauerit, in medium proferat. Itaque cum ille disceſſit, tres personas vnus sustineo. summâ animi equitate, meam, aduersarij, iudicis. Ita fiet quod promittit Fab. Fingat, inquit, apud se agi causam, & quid eum mouisset de eadem re pronuntiatum, id potentissimum apud quemcumque agetur existimet, & eum raro faller euentus, aut culpa Iudicis erit.

Dubiam causam si defendant vt probabilem, (vt sine crimine possunt. *Sot. de Iust. & Iur. l. 5. q. 8. art. 3.*) clientem suum certiore reddent, vt deliberare possit, litis euentum expectare, alexue se subiicere, an transigere malit; quod tum suadebunt in dubio semper Aduocati, si viri boni sint. 10.

Verbositatē etiam eorū constringent, Iudices, cogentque, vt hereant semper in causa, & quod Iudici probandum est, omisis ceteris argumentis, in eo mentem orationemque desigant, *Cic. l. 2. de Orat. vbi scilicet sit rei summa: nam ferè accidit, vt in causis multa dicatur, de paucis iudicetur. Fab. lib. 5. c. 13. quod si tenerent Aduocati satis, & curarent Iudices, vitarentur ingentia scriptorum volumina: quorum lectio à Iudicibus plus nunc temporis requirit, quàm iure exigat tota causarum actio, & iudiciorum agendorum apud Romanos ratio atque vsus postulabant. quod insigniter probat Marcelli exemplum; in l. 3. D. de his que intestamentis delentur. quod accuratè proponit Thuld. de caus. corrupt. Iud. lib. 4. c. 18. boni Medici est non sanare tantum, sed & celeriter. sed indocti dicunt omnia, doctis est electio, & modus. Fab. lib. 2. c. 18. qui paulò post: detrahere doctrinā aliquid orationi, vt limam rudibus, & cotes hebetibus, & vino vetustatem. cui rei valde nocet hodiernus vsus Aduocatorum, salaria pro numero pagellarum, articulorum, vel linearum taxandi, ac si ignobilis pictoris tabulas, æquo cum Apellis pretio æstimes. quod stomachabundus exagitat Thulden. d. lib. 4. c. 11.* 11.

Vt hodie res sunt, quantum absumus à dignitate Romanæ Reip. adeoq; causarū, senatorū, oratorū, & iure-consultorū, legis Cincix generositas laudari, nihil eius sperari potest. sed neque immota mansit apud Romanos Rep. nunc mole & magnitudine, suâ vacillante. *Tac. lib. 1. quanquā enim res sanctissima sit ciuilis sapientia, & que pretio nūmario non sit æstimanda, nec dehonestanda, l. 1. §. 5. D. de ext. cog. nā si in dignitate positi lucro pecuniaq; capiatur, veluti abiecti, atq; degeneres inter vilissimos numerabuntur: l. 6. §. 5. C. de postul. tamen & Nero permisit, Suet. c. 17. vt litigatores pro patrociniis certam iustamq; mercedem darent. Obtinuit ergo, vt in honorariū centū aurei capi possent. l. 1. §. 11. D. de ext. cog. sed rectiūs, ex l. 1. §. 10. D.* 12.



eod. in honorariis Aduocatorum ita versari Iudex debet, vt pro modo litis, pro Aduocati facundia, & fori consuetudine, & iudicij, in quo erat acturus, estimationem adhibeat. Fori consuetudinē admittit lex, sed non quæ ad corruptelam pertinet.

13. Itaque quantisper in pagellas, articulos, lineas æstimationē, quæ passim ferè inualuit, è foro mittere non possumus, saltem Iudices quem concinnasse causam, & in plures pagellas, & periodos citra causæ meritū, produxisse deprehendent, lucro quod inde sperauerat, priuent, si quem strictis verbis causam amplè comprehendisse, & laconismo veritatis simplicitatē iuuisse, præmio vltra pagellarū numerū, pro studio, & non diuagata facundia donari curent. multi enim verba extendunt, quòd alioquin digna studio merces esset defutura. ita fiet, quòd sponte Causidici verboritate carere volent, & ad cōpendia redigentur Iliade maiora volumina. de quibus, si vmquam de aliis Callimachus, rectè dixeris, *magnū librum, magnū malum.*

14. Alterum Causidicorum vitium maledicentiam etiam compeſcent Iudices, agentque vt *Aduocati ita præbeant patrocinia iurgantibus, vt non vltra, quàm litium poseit vtilitas, in licentiam conuertiendi & malè dicendi temeritate prorumpant; agant quod causa defiderat, temperent se ab iniuria. l. 12. C. de except. nam si adeo procax fuerit, vt non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem patiatur. nec enim conuientia commodanda est, vt quisquam negotio derelicto, in aduersarij sui contumeliam aut palam pergat, aut subdolè. l. 6. C. de aduoc. adeò quidē vt nec cōsensus, aut mandatū eius, cuius causa agitur, Causidicū ab iniuriæ pœnis excusare debeat, nō magis quàm mandatariū homicidā alterius iussio, nisi fortè quæ proponuntur ad causæ defensionē faciant.*

15. Sed & silentium seruari vbi tribunal est Iudicium, tum dignitas eorum, ac reuerentia exigit, tum ratio; ne aures Iudicum obtundantur, ne causas dicendas non audiant, ne non intelligant; ideoque rectè Isaia c. 32. *Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium.* Quod si igitur nimium obstrepant Aduocati, & verba clament, non rationes: remouere eos Iudex potest; vt fecit Antonin. Imp. in l. proximè. D. de his quæ in testam. delen. Speculator rit. de aduoc. n. 12. perf. nam Iudex. ita & refert Ant. Pannon. de dict. & fact. Alphonfi, lib. 4. c. 38. cum Medicus quidam Gallus, acutissimus quidem, sed sophista, ad agendas causas accessisset, forumque omne sophismatibus inuolueret, Alphonsum ei forum prohibuisse, decreto addito, vt lis omnis quam ille susciperet, iniusta censeretur.



feretur. sic Origenes ciniphes & ranas, quibus Aegyptij sunt percussi, vanam dialecticorum garrulitatem, & sophistica argumenta intelligit c. 7. dist. 37. gaudet veritas simplicitate, audiatur modò, & introspiciatur: non clamoribus protegenda est, non vt bellum buccinas admittit, non ei placet

*Clamorque virum clangorque tubarum:*

non mores Nauoli;

*Cum clamant omnes, loqueris tu; Nauole, semper reciprocam vult*

causæ dictionem modestam, non strepitum inciuilem, sed si-

lentium reliquorum, quorum vices, aut functio non est lo-

qui. Vnde apud Romanos Secretarium dicebatur locus, in quo

causæ iudicabantur. Constantinopoli Silentium locus consilij

erat. Pauli Diac. *hist. miscell. l. 21.* refert Leonē celebrasse silen-

tium in tribunali decem & nouem accubituum aduersus ima-

gines. erat & schola seu collegium Silentiariorum, qui curam

haberent, ne quis in palatio strepitus excitaretur, sed silentiū

seruaretur. Apud Persas silentij quoque numen colebatur.

Hæc vitia à stirpe reciderentur, si & causidicorum aliorum-

16.

que pragmaticorum moderatus esset numerus; boni tantum,

non vaniloqui, non turpis lucri cupidi, non qui primoribus

tantum labris Astrææ fontes gustauerint, non quorū opinio

yllatenus est imminuta: sed qui ita se habuerint, vt per hunc

gradum meritò illis ad altiores dandus sit ascensus, vt pluri-

bus exequitur Thulden. *d. lib. 4.* nam suprema illa quam desi-

derat iudiciorum emendatio, ab alio quàm à supremo Prin-

cipe, qui omnia possit & velit, ea vix dum sperari potest.

Eademque cautio circa Notarios, Scribas, & Solicitatores

17.

adhibenda est. quos olim Cato fragili pennâ victum quæri-

Notariorū.

tantes in ordinem redegit, vitia coercuit, fastum & arrogan-

tiam repressit.

Denique vt à capite & corde vita fluit, adeoque tempera-

18.

IX. Iudicū.

tura vitæ omnis, & sanitas; ita in iudiciis frustra quæras ma-

lorum succissionem, si caput sit languidum, si Iudex inquam

ipse labore, si vitiis ipsis virgeatur, quæ in aliis excindere eum

oportet, cuius non tantum negligentia illa in aliis prætereat,

sed exemplum in reliquis parturiat.

*Exempla parantur,*

*Cum Iudex, alios quod monet, ipse facit.*

Ad Iudicem itaque pertinet rerum omnium diligentif-

19.

simè satageret, quibus breuissimus cuique liti cursus de-

tur, fomenta & occasiones litium tollantur, & quidquid

200



est remoratum; secundum leges ipse saltem dirigantur, & dirimantur, secundum communem legum ratione nixam interpretationem. officium non nundinatione, aut ambitu adeptum, non malis artibus questum melioribus exequatur, ex forma iuramenti regat, consulat, iudicet. omnes quidem Deum ipsum iudiciis suis interesse sibi persuadeant, illum solum & Iustitię præcepta præ oculis habeant, ab eo pœnas sibi imminere etiam illi credant, qui nulli hinc rerum gestarum dare rationem tenentur. alij porrò meminerint se vel ad syndicatum vocandos, vel alias ad pœnas iniuste per sordes, vel malitiam iudicantium. improbi scilicet vt cingulo exuantur, & honore priuentur. *l. Iudices, C. de dign. l. 12.* sed & qui officio defuerint, emolumentis, quæ ex eo acquisierint, spolientur. *l. Iud. C. de annon. & trib. l. 10.* & superiores quidem siue per appellationem, siue aliàs aditi diligentissimè despiciant, ne inferiores in litibus cognoscendis & finiendis delinquant. Principes etiam consultissimum est non tantum optimos quosque rebus iudicandis admouere, sed resciscere an sibi similes maneant, an in melius mutantur, quales Magistratus ostendat viros, quin & ipso met interdum, quantum maiora Reip. negotia patiuntur iudiciis interesse & præesse. Fecit id Augustus, Seuerus, Traianus, Adrianns, Anthoninus, multiq̃ue alij Romani Principes; Carolus Magnus, Lotharius I. Philippus Augustus, Carolus Sapiens, Ludouicus XII. aliiq̃ue Germanorum & Francorum Reges, Robertus III. Schotorum Rex; Carolus Audax Belgarum Princeps, Parlamento Mechliniæ à se instituto iuri ibi dicendo sæpissimè ipse præfuit, eoq̃ue Iustitiæ, & Imperij Belgici à patre conditi supremam ipse potestatem insigniter stabilivit.

20. Sed & illud superiores Iudices seruare oportet, & mirum in modum ad minuendas lites facit, si, vt ipsi inferiores Iudices neminem opprimant, aut concutiant, diligenter animaduertunt: ita etiam ipsos litigantes, qui dicere solent, se malos Iudices fuisse perpeffos, perperâ & iniquè iudicatum, quamuis manifestâ veritate fuerint superati, appellationis remedio, non ad euadendam sed inferendam oppressionem abutentes, non damnatione tantum in expensas, quæ liberaliter contra tales sycophantas taxandę sunt; sed etiam multâ insigni ob temerariam & malitosam appellationem castigent. Ita abhorrebunt à litibus formidine pœnæ; iudiciis, ac Iudicibus sua constabit auctoritas, & honor: qui omnibus Iudicibus



bus est impendendus. *l. om. C. quando prouocare non est necesse c. vt debitus de appellar.* id enim agendum est diligenter, quod Cicero 3. *de leg.* monet, vt subditi non solum obtemperent, obediantque Magistratibus, sed vt eos etiam colant, diligantque: & quod monet D. Paulus *ad Gal. 5. si inuicem mordetis, videte ne ab inuicem consumamini.*

Quod etiam refertur, ne Iudices superiores facile aduersus inferiores querelas recipiant, decreta inhibitiua, & causarum auocatoria emittant, vnaue iurisdictione quomodocumque alteram extra iuris praescripta ne impediatur, sed inuet potius, atque in vnum conspiret: vt plures equi curram iustitiae trahentes loco quique suo.

Enimvero aduersus inueteratas consuetudines irrationabiles, litium plurimarum genitricis, quae populari errore inducuntur, insurgere eos oportet, penes quos rerum summa, & populi regimen. Neque eam in rem quidquam efficacius, quam vt omnes passim obseruare consuetudines ad Principem mitti iubeantur, vt in eius sanctiori concilio examinentur, quae contra rationem sunt, reprobentur; quae ratione nixae, emolorentur. Ita saepius constituere Principes nostri, quorum Belgicae ditiones sunt omnes consuetudinariae; & nouissime Albertus & Isabella *edicto an. 1611.* Nascituris porro prauis consuetudinibus iterum resuscitandum atque opponendum est Censorum officium, qui mores sensim obrepentes aut valide prodeuntes sistant, disturbent, atque exterminent. luxum publicum, priuatumque notent, in decoctores animaduertant, filios familias prodigos, & Macedonianos creditores coercent, omnes qui censum nisi post omnia calendaria maculata non putant, qui usuris res augent, & qui absorbent. Vnde exinde creditorum inter sese, & cum debitoribus lites, quibus illud censorium Martialis praecinendum foret.

*Et Iudex petit, & petit patronus,*

*Soluas censo Sexta creditori.*

Huiusmodi decoctorum lites vt breuibus terminis circumscribantur, & solutio mox indicatur, ideo expedit, vt ea amaritudo a residui consumptione deterreat, aut saltem tempestiue creditoribus quod suum est tribuatur. alia commiseratio crudelitas est: vt & illa Romana, quae debitorem pluribus creditoribus secundum dabat, terrebat tamen. Ago de decoctoribus; nam aliis debitoribus per fortunam iniquitatem in-



fælicibus non sunt auferenda miseranda iuris remedia, sed nec illa tamen, quod sæpè solet, litibus implicanda, quæ iuris beneficium inane reddunt.

Usurarum voraginem & usurariorum, qui fœnerando iudaizant, hydropicam, & nunquam expletam sitim si Magistratus, quantum necessitas permittit, præsciderit, magnam etiam partem litium abegerit: si Montes pietatis, qui aut gratis, si sufficiant elemosynæ, aut modico interusurio quantum aceruus pecuniæ redituū, sumptuum, expensarum annexum dumtaxat habet mituentur; populi pauperies magnum subleuamen senserit, vt experientia Belgica testatur.

24. Si dotium immensam largitatem Principes restrinxerint; multas familias conseruauerint. Mahomet quidem sine dote sponsas nubere voluit, sed difficile id impetratum. Apud Romanos non omne patrimonium in dotem dare licuit. Apud Venetos, Massilienses, Polonos summa quæ excedi non possit, præscripta. saltem ad ratam aliquam verè possessi patrimonij dotes restringi, admodum proficeret familiis non exhauriendis, & litibus minuendis, atq; virtuti ante nummos querendæ, ac denique concordia publicæ, vt videtur Plauto;

*Si opulentiores pauperiorum filias  
Ut indotas ducant uxores domum  
Et multo fiat ciuitas concordior,  
Et inuidia nos minore vtamur, quam vtimur.*

Nunc litigatur de dote promissa non numerata, nunc de inofficiosa, nunc de soluto matrimonio repetenda, nunc ad inopiam marito vergente conseruanda, nunc de illius ante alios creditores prælatione, nunc de rerum in dotem datarū iniusta astinatione, & sexcentæ aliæ quæstiones mouentur, cessaturæ cum virtus vxorum maius in dote momentum feret, quàm pecunia.

25. Sed & delictorum, quæ paulò antè proposuimus, aliorumque impunitas magnam segetem litibus subministrat. demeticam ergo oportet, & materiam mali subtrahi, in aliisque crimina omnia & reos quàm diligentissimè inquire, & puniri: modis tamen à iure, & specialiter famoso. *qualiter & quando. x. de accus. approbatis.* Qualis non fuit Conani Schotorum Regis aroa perforata, in templo cuiusque vrbis posita, in quam cui libet incognito libellum accusatorium immittere, additis criminis consciorum nominibus, & reo damnato parte media bonorum delatori cedente, sed neque nebulonum fraudes probandæ,



bandę, neque Principes per præmia delatores excientes; *apud quos plena, inquit Polyb. omnia suspicionum, & vix secreta domuum sine formidine.* Delatores, inquit Tacitus 4. *Annal. hominum genus publico exitio repertum, & pœnis numquam satis coërcitum.* & Tiberius quidem tantum licentię delatoribus dedit, *ut plerique criminis postulati ante iudicium supplicium præuenerint.* Sed probius remedium Platonis, ut delatores publici, viri probi, iuratiq̄ue ordinentur, ad perquirenda maleficia, *lib. 3. de leg.* & ad eum morem apud Ecclesiastica tribunalia testes synodales, & promotores instituti, & in foro seculari sculteti, bailliui, droffardi: qui ex officio crimina persequuntur, quasi publico nomine. sed de his alibi.

Impræsentiariarum autem sufficit monuisse, crimina quàm diligentissimè persequenda, nec flaccidè, sed ex Iuris rigore, cum lenitate punienda; idq̄ue quàm celerrimè, ut vulnus per crimen Reipub. inflictum, antequam putrescat, vindictam remediumq̄; accipiat. rarò enim medicina prodest, si venenū in corpore diu latere permittatur. crudelitas acerbissima est, quę trahit pœnam;

*Morsque minus pœna, quàm mora mortis habet.*

Quos tenet carcer inclusos, aut conuictos velox pœna subducatur, aut liberandos custodia diuturna non maceret. *l. 5. C. de custod. reor.* vbi Gratianus Iudicem desidem, ac resupinâ ceruice tantum titulum gerentem, extorrem impetrata fortuna decem auri libris mulctat. Legale spatium criminalibus litibus terminandis biennium est, atque ad breuius restringi potest si rei per se causam dicant, & sine fucis causa peragatur. Et quidem in appellationum instantia Pius V. sanxit, ut nisi intra menses sex expediantur, Iudex primæ instantię pecuniariam pœnam possit exequi, sine appellationis præiudicio. In Prouincia Mechliniensi curiæ Ecclesiasticæ ex statuto obseruant, ut sententię quę nõ excedunt 50. floren. executioni mandentur; & in criminalibus cum eam summam mulcta excedit, expensarum tamen fiat executio. & *Trid. ses. 24. c. 20.* nisi infra biennium causæ Ecclesiasticæ fuerint terminatæ, facultatem facit partibus superiores adeundi, qui causam in eo statu assumant, & quam primùm terminent. idemq̄ue Concilium appellationes reiicit, à sententiis non definitiuis aut definitiuarum vim habentibus.

Et apud Belgas plerisque locis in criminalibus non admittitur appellatio in iudiciis secularibus. Optandum tamen est



set ne à paucis rusticis eæ sententię ferrentur, sed causę coram  
iis instructę pro reorum commoditate, & ne inferiorum dy-  
nastarum Iurisdictione excindi videatur, ad suprema Princi-  
pum tribunalia, aut criminales aliquot assessores perpetuò à  
Principibus designandos mitterentur, ex quorum censura  
sententia diceretur. quoniam de capite hominis nulla cautela  
nimis cauet. quare & capturā nec leuibus iudiciis, nec leui  
causā faciēda est, nec squallida, obscura, seu aliàs præter custo-  
diam incommoda, neque compedibus & manicis faciēda est:  
nam id ad tormenta & pœnas pertinet; iuxta *Psalm. 149. Ad  
faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus. & nobiles eorum in manicis ferreis.*  
Sed nec ad torturam deueniatur nisi ex iudiciis legitimis, cla-  
ris, & delicto proximis. quorum copia reo etiam non petenti  
fiat (quanquam Interp. edicti 1611. data 28. Nou. 1611. in cri-  
minalibus id vltteriùs non fieri iubeat, quàm sit hæctenus con-  
suetum) de corpore delicti constet: moderatā humani Iudicis  
arbitrio, & pro qualitate ætatis, sexus, roboris torquendi, sit  
tortura. nec repetenda, nisi ex vrgentioribus nouis iudiciis,  
nec vnquam ferè vltra vicem tertiam, nec ad complices no-  
minandos; neque enim eculeo ea nominatio exigenda est,  
quæ & sine eo facta exilis fidei habenda est.

28. Denique vbi appellationes admittuntur, satius esset sine  
intermediis ad supremos Iudices acta referri, & si ab interlo-  
cutoris appellatum fuerit interea, non omitti instructionem  
causę criminalis, quo nihil temporis depereat reo liberando,  
vel publicę vindictę, quam bis dat, qui citò dat; nam vt im-  
punitas delicta prouocat, ita & dilatio, quæ temporariam ve-  
hit impunitatem:  
Sed & delictorum, litiumque criminalium occasiones am-  
putandę sunt. Lupanaria omnino, vbi possunt, tollenda. Ludi  
& alex prohibendę, vnde nascuntur tumultus, rixę, cædes, iur-  
gia, iniurię, conuitia: quarum actionum vbi mors secuta non  
fuerit, ex tabulis legum Brabantię officario prompta mul-  
ta est, & apud Antuerpienses huiusmodi inter partes actio-  
nibus cognoscendis, & maximè componendis Iudices specia-  
les dati sunt, sub nomine *Pacificatorum*. Sed & otiosorum ad-  
eoque vitiosorum inspectio necessaria est; nam ex otio ex-  
æstuat magna malorum cohors, & inde litium. quibus præca-  
uendis Ægyptij apud prouinciarum Præsides profiteri tene-  
bantur, vnde viuerent, qui se familiamque alerent, quam ar-  
tem,



tem, aut disciplinam exercerent.

Ad extremum, processus ipse & stylus iudiciarius à nœuis suis omnibus est purgandus, in eoque Iudicis industria summo perè præstat; in eo quidem corrigèdo, sicubi per vitia temporum nostrorum est corruptus: alioquin in eo quàm accuratissimè obseruando, vbi non est vitiatus. Generalissimum porrò vitium in longæuitate, ac ferè immortalitate litium consistit, vnde & vniuersale Concilium Trid. monet *ses. 25. c. 10.* omnes Iudices, vt terminandis causis quantà fieri poterit breuitate studeant, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu aliâ parte differenda, modis omnibus ac termini præfixione, aut competenti aliâ ratione occurrant. Cui celeritati promouendæ præconem in iudiciis optat Anthon. Fab. *C. l. 9. tit. 22.* qui litigantibus semper inclamet *Hoc age.* vt dilationes non necessarias non exigant, neque Iudex concedat. Feriæ etiam non in populo festæ, & quæ vocantur festa palatij, tollendæ sunt, aut saltem minuendæ, ex ratione apud Tacitum *lib. 3. si pro benignitate Diuis grates agerentur; ne totum quidem annum supplicationibus sufficere; ideoq; oportere diuidi sacros, & negotiosos dies: quibus diuina colerentur, & humana non impedirentur.* Et litigantes per sese potius audiantur, quia lites, vt rumores, & fama, eundo crescunt. & quantum fieri potest, summarie semper procedatur. Sed & Faber alterum breuiendarum litium remedium suggerit Compromissum. de quo iam pluries, sed maximè *l. 1. cap. 26.* alij alia. nemo autem admiserit monomachiam, similisve modos olim vulgares, hodie apud Polonos, Moscos, & quosdam alios populos etiamnum vsitatos: quæ furiosa sunt remedia & Dei tentatiua. Comitæ etiam populi subito arbitrio iudicantis periculosa sunt. nullius rei bonus author populus censetur, nisi boni ductores præeant.

## CAPVT VII.

### De breuitate & ordine Iudiciorum.

**A**llaborare Iudices quàm diligentissimè oportet, vt sciant quæ inter partes controuersia agitur, id est, statum causæ intelligant: eò enim omnia dirigi oportet, vt rectè Eschin. *in oratione contra Xenophontem* à Iudicibus petit, ne Demosthenè permittant euagari, sed dicere de ipso statu

294

Processus  
stylus.i.  
Cause statu  
tus nota  
tur.

statu



statu causę cogant. *Errant consilia nostra*, inquit Senec. *epist. 71. que non habent quò dirigantur.* ignorantem quem portum petat, nullus suus ventus est. Et quanquam Thulden. *de caus. corrup. Iud. lib. 3. c. 13. 14. 15. 16.* multa præclare de cognoscendo & constituendo causę statu differat, quedam tamen ex antiquitate rediuvia facit, quibus posteriores sanctiones, præsertim Canonice, distinguendis, illustrandisque laboriosam operam dederunt, quarum fructum non parum perditum iremus. dum enim iure negat alias dilationes dari, quàm que querendis probationibus, & testibus debeantur, redigit omnia in unam scenam. & ferè quomodo popularia iudicia olim agitabantur. A quibus non longè abest Plato, *lib. 33. de leg. dial. 9. Coram accusante, inquit, defendenteque quàm proximè seruat à ipsorum dignitate Iudices sedeant, omnes adsint, taliq; iudicia diligenter audiant, in quibus cum prima oratio ab accusatore fuerit habita, defensor alteram dicat, deinde senior de Iudicibus que dicta sunt omni adhibita diligentia sufficienter examinet; post eum ceteri omnes considerent quodcumq; ab aduersariis dictum vel non dictum perquirendum singuli putant; qui autem nihil discussione sua dignum censent, alteri examinationem relinquunt; ac tandem in Vestæ sacrario scripta, que tunc conclusa fuerunt, insertis omnium Iudicum signis deponantur. Postridiè rursus eodem in loco congregati, eodem modo existiment iudicentq; & signis apposis omnibus que dicta fuerant, deponant; cumque hoc similiter tertio fecerint, signis, testibus, sufficienter assumptis, sacrum singuli ferentes suffragium, iureiurando per Vestam verè iusteq; pro viribus se iudicaturos affirmant, atque ita huic iudicio finem imponant.*

Et Budęus in *annot. poster. in l. numer. §. Iud. D. de Muner. antiquum Iudiciorum more, qui Romæ viguit, explicat.* Crudè sanè Thulden, omnes quę non ad probationes pertinent iure Romano dilationes reiciit autumat; nam ut nihil dicatur de spatiis citationum, eremodiciis, vadimoniis, missione, ex primo & secundo decreto: reus comparens delationem habet viginti dierum pro deliberatione. *Auth. offeratur. C. de litis contest. Dilatoriis utitur, iisque ad litis cõtestationem. l. excep. C. de probat. nec sine dilatione de satisfactionibus statuitur, de ordine cognitionum, de excusandis contumacibus, de admittendis vel reiciendis, qui alieno nomine iudicii interueniant, de aptitudine libelli, de illustranda editæ actionis specie, de mutuis petitionibus, de tergiversantibus ad contestationem cogendis, datur & dilatio ad listendum aliquem in iudicio. l. sancitur. C. de fidei. Quid? quod Iustin. *Novel. 115. §. sed & hoc* altero litigatore discep-*



diseptationi renuntiante, si alter dicere quippiam adhuc velit, mensum jubeat indulgeri, & secundum, deinde adhuc & tertium. Neque iuvat lex 7. & 10. D. de feriis l. 1. & 2. C. de dilat. l. 45. de Iud. nullibi enim quod is tradit asseritur, nec quia producendis testibus spatia dantur, ideò reliquis actibus negantur, fateor nunquam tanta friuolis fuisse data quanta hodie.

Scrupulosas ceremoniarum iudiciarum præstigas, quibus & ipse Iudex fascinetur, ut quasi sensus motusque impos, penè nihil officij præstare possit, nisi quod partes exegerint, postquam iam mutuâ pugna lassæ procubuerunt, veteribus ignotas fuisse concessero, rescandasque esse, quod porrò tempora iudiciis distinctè peragendis inuenerint necessarium, non id omne conuellendum est, non præsertim Canones longâ sapientissimorum Pontificum lubricatione laborati.

Sed sanè Platonis forma ut vnâ oratione actores, vnâ rei defungantur, bene se habeat, ubi de facto constat, de iure quæritur, verbi gratia post duellum Horatorum & Curiatorum solus ille, qui victor euaserat, in publica lætitia sororem, ob sponsum interemptum lugentem, occidit. factum liquidum erat. querebatur iustane satis indignatione sororem priuatus occiderat. an meritis in Remp. delictum econdonandum esset. poterat accusatio, poterat defensio vnâ vtriusque oratione peragi, vnâ die, vnâ consultatione sententia ferri. ut Innoc. III. c. ad nostram de iureiur. rectissimè dicit de ordine Iudiciorum procedere, ut in manifestis Iudiciarius ordo non obseruetur; verissimus sæpius censetur ordo non seruare ordinem c. de manifest. 11. q. 1. c. scelus. ibid.

Sed varietas negotiorum vltiores congressiones introducit. aliquando actioni resistitur solâ negatione, aliquando ea exceptione eliditur, aliquando aliâ allegatione opus est adiuuandi rei gratiâ, quæ replicatio, & duplicatio dicitur, & denique triplicatio, aliisque vltiùs. *Institut. de exceptionibus & replicationibus.* cum quidem solâ negatione reus se defendit, expedita res est, iniunctâ actori probatione & dilatione breui in eam concessâ, sed vbi exceptiones, replicationes, duplicationes, triplicationes, & ceteræ obuoluntur, longiora spatia causa exigit.

Quid si iure Romano vtatur reus, l. 9. C. de except. Si quis dem, inquit, intentionem actoris probatione deficere confidit, nulla

4.  
In congressu potest in notorii causa peragi sac ubi de facto constat: non item in ca-  
teris.

5.  
Simul & semel omnia proponenda.  
tibi

M



*tibi defensio necessariâ est.* Quòd si is nimium fuerit confisus, productis testibus eorumque testimoniis resignatis deprehendat actorem intentionem probasse sufficienter, confectâ nunc vnâ lite, aliam ingeret reus exceptione propositâ, in qua cum fiat actor, *huic esse locum exceptioni monstrari conuenit. d.l.9.*

Igitur actor nunc reus confidat etiam exceptioni deesse probationes, eamque aded inficietur, oportebit à reo testes produci, à Iudice audiri, interrogari; quæ ab iis dicta erunt publicari. quòd si tum rursus liqueat exceptionem esse probatam, actor replicationi se accinget: inficiabitur rursus reus: testimoniis probabit actor, & deinde ulterius pro negotiorum varietate, quot in vno actu scenæ, quot in vnâ actione iudicia!

Rectius iure Canonum *in c. pastoral. x. de excep. & moribus nostris* quæcumque reus alleganda habet, simul & semel, vt loquuntur, proponere iubetur, probationes simul vtrimque fiunt, sub præscripto vtrisque termino, testimonia simul resignantur, in ea testesque simul dicitur, simul testium fides propugnatur, testimonia in speciem contraria conciliantur, simul & iudicandi calculus porrigitur.

6. *Stylus vulgaris procedendi.* Tametsi porrò in his non vniformis vbique stylus, & ordinis iudicarij stilum; plerisque tamen in locis in eo conuenit, vt petitionem proponat actor, respondeat reus: replicet actor si videatur, duplicet reus; acta deinde ad Iudicem deferantur. is si quid in Duplica noui sit ad summam rei pertinens, super eo triplicandi actori, & deinde quadruplicandi reo facit facultatem: actis denuo repetitis si de facto conuenit, in quo causæ status versatur, de iure pronunciat Iudex: si in facto dissentiant litigatores, probare eum iubet ad quem spectat, & vtrumque quidem si ita oporteat; designatis etiam capitibus, si in paucis rei summam consistere animaduernerit, vt reducat in viam quadrigas sæpè vagabundas, & litigatores in circuitu causæ ambulantes: indeterminatè alioquin, si multa admodum sint capita, vt sæpè accidit in iis, quæ non viâ regiâ ad metas suas deducuntur, sed per coniecturas, præsumptionum, indiciorumque diuerticula, atque aliàs cum in vna causa diuersi quæstionum status apparent.

Siquidem cum extra iuridicalem statum agitur, causæ decisio ex probationibus dependet, difficiles eæ sunt, per positiones distinctas iuuari solent, eas fateri vel negare cogitur aduersa-



uersarius. confessio in iure facta summa probatio est, adeò vt pro iudicato confessus habeatur.

Negatorum fidem facere oportet, actorem priùs quidem, quia eo non probante reus absolvitur; etsi is nihil præstiterit. Sed eo asserta probante reus exceptiones, in quibus censetur actor, probare tenetur: alioquin intentionem actoris non elidet, sed per mores vterque simul, quod sibi incumbit, probat.

Euentia facti, delatio iuramenti, præsumptio iuris, vice probationum sæpè sunt, quæ alioquin propriè per testes & instrumenta conficiuntur.

Testium fidem Iudex æstimat: pars obiicit, si quid eorum integritati derogat, rectè ante auditionem; sed plerumque protestatur tantùm integras sibi fore exceptiones, & si ex illis testibus decisio causæ pendet, permittitur opponens eas probare, & alter in contrarium probare integritatem.

Iudex ipse testes audit, aut si per alia negotia non licet, aut illi alibi habitent, Iudici loci committit, seu alteri, qui ei examen remittit. Parte præsentè, aut contumace iurant testes veritatem se dicturos, quantum eis innouerit.

Producuntur intra præscriptam dilationem, trinam saltem, & audiuntur si Iudici vacat: sin minùs, iurant intra id tempus, & pòst examinare potest Iudex, cum vacat: ita quidem pure; *Myns. cent. 6. obs. 57.* seu cum aliter fieri nequit. aliàs satius præsentis & recentis iuramento moueri, neque dimitti iam aduersario notos in pericula præuaricationum.

Instrumenta, chyrographum, epistola, cautio, apocha, seu qualiscumque scriptura rem gestam continens, ad probationem producuntur. inde hîc documenta vocantur. scriptura priuati scribenti hêredibusque nocet, vt si quis testamento modum sui patrimonij adscripserit, non autem aliis. Publica autem actis publicis comprehensa seu coram Magistratû gestata continens, & publicis scriniis tradita plenam fidem facit. Proximè accedunt instrumenta Notariorû, qui in voluntariis quadamtenus hodie Iudices sunt, sed ea & testibus firmari debent. per alios testes infirmantur: secus quàm strictè publica. Priuata etiam testiû subscriptionem desiderant, vt priuato scripturam suam negante per eos probari possit. Id quidem

sup

M 2

hodiè



hodiè necessariò non seruator, sed scripturâ negatâ magnas patitur difficultates comparatio literarum. de qua *l. 20. C. de probat.*

In his omnibus ipsa autographa ad fidem faciendam requiruntur. exemplum, index, copia, calumniôsa scriptura vocatur. *l. 2. D. de fid. inst.* seu quæ calumniandi ansam præbeat inde & instrumentum non habet fidem ex referente, nisi & illud relatum producat. *Novel. vt sponsal. larg. 119. §. & hoc insup. Auth. si quis. C. de edend. l. ult. D. de prob.* Deposito autem apud acta instrumentis perpetuam fidem conciliat. *Novel. 73. §. vt autem. vers. de quibus. l. hac C. de donat.*

Post probationes, disceptationesque mutuas super fide testium atque instrumentorum tandem quousque voluerint auditi vtriusque concludunt negotium litigantes: aut si alter tergiuerfetur, terminus ei præscribitur; secundus etiam & tertius, ac Iudex causam pro conclusa habet, neque exinde quid facti coram illo allegatur, sed iuris allegationes secretæ, quæ de actis non sunt, & quas Iudex supplere deberet, ad iuandam eius diligentiam porrigi possunt.

Si nimia olim difficultas negotij, non ex facto, sed ambiguo iure videbatur, ipsi Principi relatio fiebat *l. 1. & tot. tit. C. de relat.* rescriptis Codex est plenus. Hodiè id non passim permissum. *Novel. vt Iud. non expect. 125. Auth. nouo Iure C. de relat.* non tamen vetitum semper. Sed cum extricare rem Marte suo queunt Iudices, & post magnos sumptus nimia est dilatio. Quam causam præfatur *d. Novel. 125.* & mores admittunt relationes, & alicubi sub pœna nullitatis iniungunt. nec decretales aspernantur. *c. intimati de appell.* Atque hæc de litibus sunt relationes, communicanturque partibus, adiunctâ totâ causæ ferie, & litis actis. *l. 3. C. de relat.* aliæ sunt relationes de negotiis publicis. de quibus infra *l. 3. c. 9.*

Id porrò in omnibus litis partibus pro suprema lege usurpari potest, vt quæ ad principalem causam pertinent, quam breuissimis spatiis circumscribantur; accessoriæ porrò de satisfactionibus v.g. aliæque liticulæ incidentes, cursum illius non remorentur, nisi omnino tales sint, vt causæ principali præiudicent, atque illis non cognitis hæc cognosci non possit; quam si quidem breuiter expedire conuenit, multò minime hæcere oportet in accessoriis discutiendis.

In omnibus autem vtilissima esset Antoninæ constitutionis obseruatio in *horat. D. de feriis*, denuo sancita in *l. 1. in pr. C. eod.* à qua

7.  
Causæ  
principali  
breues ter-  
mini præsi-  
gendi, nec  
illius cursus  
per inciden-  
tes questio-  
nes remo-  
randus, seu  
illa suo  
Marte pro-  
cedant.

8.  
Litis in-  
structio  
dilationes  
sine perem-  
ptoria.



à qua non distat. *l. fin. D. eod. c. constituuit. x. de off. delegat.* non nisi semel dandam esse vnus rei in iudicio exequendæ dilationem. Denique necessarium est, vt iudex teneat cognitionis suæ rationem, non litigatorum affectibus obsequatur prorogantibus causarum spatia prætextu iudiciariæ obseruationis.

Enimuerò breuitati litium valde proficeret partes initio litem contestari voce, non scripto, & per sese si possint; sin minus, adsint saltem, subsidiario oratore vtantur, atque ita causa tota initio agitetur. si de tribus capellis eam esse viderit iudex, ex tempore expediat; si grauis momenti, & dubij juris, de facto tamen conueniat, permittat vtrique breui scripto atque intra paucos dies jus suggerere; sin autem ex scripto iudicandum est, & legitimæ causæ constitutio facienda, schedæ apud acta deponantur, refellantur vtrimque, contradicta que dissoluantur, & continuo iudicandi potestas fiat. In statu autem causæ inficiali ad testes deueniatur, & vt supra diximus, pergatur. vt rectissime Imbertus ad mores nostros triplicem hunc causarum statum constituit, exequiturque; iudicialem, legitimam, & inficialem. *Instit. for. lib. 1. c. 36.*, & Lagus in *Methodo Iuris tit. de lit. contest. sub fin.* vt in Oratore suo Quintil. pluri-

9.  
Partes per se  
litem voce  
contestentur.

bus locis de statu differit, definit, diuidit, & explicat. Censeat autem semper iudex, pro causæ necessitate, scripto, an voce peragenda sit: ordinario, an extra-ordinario cursu, semperque; meminerit Iustin. *const. 12. Nou.* precepta Præsidentem iubere, vt iudici studio sit, vt causas cum summa æquitate cognoscat, ac breuiore quidem, & maximè quæ vilioris conditionis hominum sunt, sine scripto decidat, & diiudicet, & mutuam inter se ho-

10.  
Leuis causa  
ex tempore,  
& cum de  
facto constat  
post breue  
motiui, vbi  
de facto qua-  
ritur breues  
iudicium ad pro-  
bandum, re-  
solvendum, sal-  
uandum ter-  
mini figan-  
tur.

Nam pauca sunt causæ hodie, quibus non possit nimia ordinis iudiciarij obseruatio relaxari, & sufficere, quæ Clem. Sæpè de verb. sig. proponit. In qua Constit. singula pœnè verba monita singula ad iudicem ferunt; eò autem pœnè tendunt omnia, vt lites fiant quàm breuissimæ. eum scopum si sibi semper iudex proposuerit, si eò actionem suam iudiciumque omne direxerit, multum sanè Reip. priuatæque singulorum commodauerit.

11.  
Pleraque ho-  
die causa de  
plano, & ad  
formam Cle-  
mentinae sæ-  
pè, expediri  
possent.

Sic & Iust. *Novel. 80. c. 2.* Defensori (quale officium nunc valde passim desiderari potest) iniungit, vt procuret incidi negotia, vt non longitudo eis fiat temporis, & maximè agricolis, & cum omni instantia iudices urgeat, cum festinatione eos contentiōibus absolueret, & litibus

12.  
In sua cuius-  
que ciuitate  
ideo defenso-  
res ciuitatū,  
& pedaneū  
iudices ad  
leues causas.



13.  
Maximè  
lites paupe-  
rum, agri-  
colarum,  
monacho-  
rum & cle-  
ricorum.

liberatos, in suas ciuitates remittere. & Nouel. 79. Sed etiam, inquit, accelerari lites sancimus monachis illatas, vt non mens eorum occupetur circa litis sollicitudinem, sed velociter liberati sacris operibus obsecundent. sed & de clericis Nouel. 83. iubet cum magnanimitate, & velociter lites eorum decidi, vt non propter eiusmodi causas sacris amoueantur obsequiis, & cum oporteat Deum placari, & deo-  
centia sacerdotibus agi, auditoriis detineantur, & illis turbis, atque inherente tumultu litigantium animabus, si tamen de criminibus conueniantur; si quidem ciuilibus, non transcendente lite mensum duorum spatium (quantum absuit hodie mores!) ex quo litis contestatio fit, quatenus breuis imponatur causa terminus.

Eandem ob causam Iust. defensorum ciuitatum resuscitauit energiam, & auxit, vt singuli in suis locis breuem litium expeditionem nancisci possent. Fit enim, inquit, in Auth. de defenf. sic congruentia utilis, si Iudicum sumant officium ciuitatum defensores, & Prouinciæ Præsides videbitur quidem Iudicum Iudex potius esse, & hoc honestior apparere. quanto enim quis præest melioribus, tanto maior ipse & honestior est. audient quoque leuiora crimina, & castigationi competenti contradent, & eos, qui in maioribus criminibus capiuntur, detrudent in carcerem, & mittent ad Prouinciæ Præsidem. sic enim fruetur vnaquæque ciuitas cura iudiciali, & omnis gens sub maiori constituta Iudice maior sentiet prouidentiam. Eademque ex causa Iudices, Auth. de Iud. c. 3. Audient, inquit (pedaneus Iudices) omnes quidem litem usque ad trecentos solidos existentem, sub schemate annotationis. sic enim velocius lites iudicabuntur, & circulis cognitionalibus, ac temporis contritione omnes litigantes liberabuntur. vt in Prouincia quidem ideò etiam causas decidi idem Iustin. Nouel. 9. mandat, Quid enim, inquit, durius quam læsum circa sublationem bouis aut equi, iumentorum alicuius, aut pecudum, aut, vt exiguum dicamus, domesticæ gallinæ, hunc cogi non in qua aufertur prouincia litigare, sed alibi currere, & ibi probationes eorum, quæ pertulit exigi, & aut plures expensas pati, quam rei æstimatio est, aut inopiam ingemiscentem ferre, eundemque ad finem sedere pedaneos Iudices continuo iubet c. 3. maturino mox, & meridie, & vespere audientes causas. Sub schemate annotationis audire pedaneos iubet vsque ad 300. solidos (in antiqua auri caritate) quod rectè Ant.

14.  
Sub sche-  
mate an-  
notationis  
vsque ad  
300. soli-  
dos.

Contius sine scripto interpretatur, id est, sine scriptis vtrimque voluminibus. sed tamen per notas breues allegationes consignabantur, aderant enim Iudicibus serui publici, qui in notas capita allegationum referebant, vnde & Notarij sunt dicti. compendiosa signa erant, quibus integer sensus inerat, integre



regre periodi significabantur. hoc modo causæ minores notis tantum, non scripto agitabantur. Ad eum finem pertinet quod d. Clem. sæpè dicit petitionem faciendam sine scriptis, siue verbo, actis tamen continuò inferendam.

Sed & tamen cauere Iudicem oportet, ne breuitas noxia fiat dum prolixitatem fugit. *non sic tamen*, inquit, *Iudex litem abbreviet quin probationes necessariae, & defensiones legitime admittantur*; non ita litigatores angustè concludet, quin causam suam dicere, testibus, instrumentis se munire, ceteraque omnia ad eam necessaria expedire possint. nec partibus suis etiam deerit Iudex, *sed interrogabit*, inquit Clemens, *partes siue ad earum instantiam, siue ex officio, quandocumq; hoc aequitas suadebit*. Consonat lex 21. D. de interrogat.

Et Plato in formula supra scripta Iudicibus interrogandi officium iniungit, sicubi causa discussione egerit. vt Clemens VII. dum omnes nullitates sustulit *const. incip. lit. 5. Id. Feb. 1592.* satis scrupulosos litium labyrinthos ex consequenti expeditos voluit. excepit tamen Clemens tria genera nullitatum: eam quæ est ex defectu citationis: quæ ex defectu mandati: denique quæ ex defectu iurisdictionis. nam & has naturæ leges sanxerunt. inauditus enim nemo damnari potest. non auditus etiam est, pro quo falsus tantum Procurator interuenit, & sine iurisdictione nemo ius dicit. Priuatus si quid statuat, tyrannus est, Ipse Deus ordinem iudicij seruauit in Adamo & Gomorrhæis, *Genes. 18.* in Achan, *Iosue 7.* in villico, *Luc. 16.* Ad illum; *Adam ubi es?* in secundis, *Clamor multiplicatus est. Descendam & videbo, &c.* in tertio sorte extractâ, & vocato eo atque confesso, prolato furto, constito de corpore delicti, & vltimus diffamatus erat; *Quid audio de te, &c.* In vltimo iudicio generali citatio erit per tubam generalis. D. Paul. ad *Thessal. c. 4. in iussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de celo, &c.* Rectè *Eccl. 11. Antequam scruteris, ne reprehendas: intellige prius, & tunc increpa.* Igitur fatendū est Leges nostras iubere inducias quàm paucissimas, atque breuissimas litigatoribus dari, atque Iudicem curare oportere, vt omnes controuersia quàm citissimè dirimantur. *l. oratione. & l. vlt. D. de feris l. 1. & 7. C. de dilat. Nouel. vt cum de appell. 115. §. sed & hoc. Auth. Iubemus; O. de Iudiciis.* maturo tamen & non præcipiti iudicio. *nam quia dubium non est, vt ait Cicero 4. in Ver. quin omnes omnium pecunie sunt in eorum potestate, qui iudicia dant, & eorum qui iudicant, præcipitatio sanè in iudiciis maximè pernitiōsa est.*

M 4

Et



17. Et quanquam apud Turcas, aliosque barbaros, nec actionum formulæ, nec iudiciorum normæ, ut apud nos locum habeant, & sint qui probent eiusmodi expeditionem, tamen dubium non est, quin ea summam sæpè iniustitiam inuoluat, neque esse ob aliquorum abusum cælestem virtutem è terris eliminandam. ut multa Dei beneficia possidemus, quibus nullatenus carere velimus, ideo quòd aliqui abutantur. ut malè etiam senserunt, qui medicinam, eiusque professores omnes è Republ. profligabant, ideo quòd aliqui non rectè eâ scientiâ essent vsi. ut nugiuendus liber Octauij. Pisani, contra Iureconf. similesque, non seriâ lectione, sed risu dignus sit, & non aliud tempus mereatur, quàm quod seriis ineptum est.

18. Quod porrò quæritur apud Agell. Debeatne Iudex inter cognoscendum id, quo dicto quæsitoque opus est, dicere, & querere, etiamsi cuius id dici queriue interest, neque dicat, neque postulet? *Patrocinari enim, inquit, prorsus hoc esse aiunt, non judicare.* Sed Imperatores Diocl. & Max. in l. vn. C. ut quæ de sunt Aduocat. de eo ambigi noluit: *Non dubitandum est, inquit, Iudicem si quid à litigatoribus vel ab his qui negotiis assistunt minus fuerit dictum, id supplere, & proferre, quod sciat legibus & iuri publico conuenire.* Id quod tamen per postrema verba non pauci restringunt, ut non ea suppleat Iudex, quæ facti, sed quæ Iuris sunt; sed ego existimo longè aliam fuisse Imperatorum mentem. certū enim est, Iudicis officium esse, secundum leges iudicare, quamuis litigatores idiotæ fuerint, per se causam dixerint, adeoque constitutiones nullas, senatusconsulta, plebiscita, leges nullas allegarint, utpote quas nesciant. neque eâ de re dubitari vnquam potuit, aut Imperatoriâ decisione opus fuit. Sed de iis supplendis, quæ facti sunt, meritò dubitari potuit, & dubitauit apud A. Gellium Phauor. Id decisum voluerunt Imperatores, si quid minus fuerit dictum, id supplere aiunt. non quòd Iudex quod narratum non est à litigatoribus, ipse narret; etiamsi antè priuatim rei notitiam adeptus esset, sed quod suis Iudicibus Plato præcepit lib. 33. de leg. dial. 9. *ut considerent quodcumque dictum, vel non dictum perquirendum putant.* Atque ita Alex. in l. 3. C. de transact. Iudex, inquit, *queret de quanta pecunia nominatim transactum sit.* Scilicet eâ inquisitione opus erat, ut sciretur num pecunia, quæ petebatur, sub transactione comprehensa esset. Facit æquitas l. 21. D. de interrogat. Clem. sæpè. vers. interrogab. de verb. signif. Si enim causa cognoscenda Iudici demandata est, omnia demandata esse intelli-

N que iudiciorum omnis forma vs apud Turcas tollatur.

Quando Iudex querere debeat, à partibus non explicata & suppleat?



telliguntur, sine quibus ad notionem venire non potest. Sed hæ, inquit, partes patroni sunt; non Iudicis; imò Iudicis: si litigatores aut patroni defuerint partibus suis, quò minus Iudex liquidum causæ statum deprehendat. id verò cum generatim Iudici commissum intelligitur; non rei causam, non actoris sustinere, non huic, non illi suffragari, aut vilius favori quidpiam dare dicendus est; sed inuestigare rei; de qua queritur, veritatem, suæ notionis subsidia poscere. laudatissimum est Salomonis exemplum: quantâ solertiâ supplēuit, quod dēerat litigantibus matribus de prole viua & mortua, quæ tamē alias defectæ probationibus dimittendæ fuissent.

In omni ergo Iudicij parte vbi Iudici videbitur non satis propositum esse, non satis disertè distinctum, vt definiiri possit negotium; interrogando supplēbit id, quod noscendo causæ statui dēest, & probationes exiget; quarum defectus definitionem remoretur. hinc ea, quæ praxis *Puncta officij* vocat, nascuntur, & frequentissima sunt apud nostratia tribunalia. perquirentē Iudice ea quæ causæ desunt, & litigantes totâ aliquando viâ aberrantes dirigendo: non id datur personis, sed causæ, sed Iustitiæ. Porro ex factio ius nascitur, factum obscurum sit; tantisper oportet vt ius partium Iudici non minus obscurum sit: factum interrogando Iudex excutere, vmbas iuri depellere, lumen causæ adferre, decisioni facem accendere possit: qui, si non velit, si damnet eum quem absolvere, si absoluat quem damnare face eâ accensâ debuisse; aut si non liquere dicat, quis inquam officio functum dixerit? si cœnatum hospitem quamuis lautè, per tenebras, non prælatâ à famulo tēdâ quis dimiserit, non functum amico officio dixeris, si nec viri boni quem vides errantem viam non monstrare, si non boni hospitis, boni viri officium præstant qui hoc negligunt; boni Iudicis sanè officium non præstiterit, qui contempserit. Apud subsellia non errare, non hospes esse, sed in luce veritatis ambulare, sed habitationem firmam habere vult. Astra; aures illa non tantum habet, sed & oculos acres: non audire tantum eius mystam oportet, sed & acriter perspicere, vbi controuersie veritas hæreat, eruere interrogando; perquirendo eam ex obscuris, & demū proferre, quod statim negotij iam cognito sciat *Iudex legibus, & iuri publico conuenire.*

Hęc tamen ita agere Iudicem oportet, vt nec grauitatem suam offēdat, nec litigatores dicentes interrumpat, dicturos  
 19.  
 fortè Servatâ  
 semper gra-  
 uitate.



fortè quod quærere volet: neque enim vno hiatu omnia dicuntur. præcipitis id esset, non celeris tantum, non grauis. quin nec ipsis partibus permittere Iudex debet, vt inuicem se cõfundant, medios sermones intercipient, sed loquendi vices seruent, atque ipse suas: scilicet non in singulas periodos, sed in finè, cum non aliud à litigantibus expectat, quæ scire vult, quæ clariùs explicari referuet, ac proponat. ita etiam, vt ex rogandi modo nihil eius quod sentiat deprehendi possit. non oculi, frons, vultus, lingua animi iudicium præferat ante sententiam.

Præter hæc magnum momentum adfert rei bene cognoscendæ, bene iudicandæ testium ininterrogatio, si ab ipso Iudice fiat: in ipsa actione energia est, quæ non se effert in imaginem scripti testimonij. Vnde rectè Imperator Adrianus rescripsit se testibus, non testimoniis credere; atque iterum testimoniis apud se locum non esse. sanè frons, oculi, vultus, vox, gestus, apparens religionis reuerentia, aut neglectus, constantia, titubatio uè testimoniorum fidem firmant, vel eleuant. Vnde idem Imp. *Tu magis scire potes quanta fides habenda sit testibus, itemque ex sententia animi tui te estimare oportet, quid aut credas, aut parum probatum tibi opineris.* Dispiciet enim ipse Iudex qui simpliciter visi sint dicere, vtrum vnum eundemque meditatam sermonem attulerint, an ad ea quæ interrogantur ex tempore verisimilia responderint. *l. 3. D. de test.* quæ tanti fecit Iust. vt in causa criminis testes etiam in alia prouincia morantes coram exhiberi iusserit. *Novel. 90. c. 5.* non ei suffecerit examinari à Iudice regionis. Ratio est apud eundem Adrianum. *nam ipsos,* inquit, *interrogare soleo.* Si occupatissimus Imperator tanti fecerit testis præsentis examen, non facilè debent Iudices, quibus minor rerum moles incubat, à partibus suis illud reicere, aliis uè causæ iurisue imperitis demandare, qui nesciant, quid pro notatione negotij, quid pro testium exploranda fide, ex variis reigestæ circumstantiis interrogandum sit. Quod si porrò ita Iudex aliis negotiis distineatur, vt huic dare se non possit, vices saltem suas non imperito alicui Scribæ, sed Iureconsulto non ignobili committat, qui si quid in vultu, gestu, sermone testium extra quod scriptum est deprehenderit, quò religio iudicantis moueri, vel causa penitiùs nosci possit, non omittat ad viuum referre.

*At. nomen actionis eandem sit* Sed & coronidis hîc loco lubet quærere, quia traditum est, ad officium Iudicis pertinere, sine actione agentem à limine Iudicij



Judicij repellere, & ineptum libellum rejicere, an si actor certam actionis speciem non proposuerit, id Iudici præstandum incumbat? nam variè disputatum est; actorem, nisi actionem exprimat, audiendum non esse. & olim quidem necessarium fuisse nihil dubitatur. quando & impetrare actionem, & nec syllabâ quidem præscriptâ cadere oportebat. sed id sublatum est. & Thuld. quidem nouissimè, *de caus. corrup. Iud. lib. 3. c. 13.* qui Iudicia hodierna multis superfluis exoneranda rectè tradidit, contendit neque spolianda esse necessariis, atque inter hæc editionem esse actionis speciatim signatæ: quod Imperatores ex vetere iurè formulas tantum impetrationesque iustulerint, non actionum speciatim signandarum necessitatem.

Enimuerò necessarium id non esse ratio suadet, dummodo ita factum narretur, & petitio applicetur, vt hæc ex illâ nasci (nam ex facto ius oritur) constiterit. disertè ita Alex. III. rescripsit *c. 6. x. de Iud.* dummodo negotiorum natura, & specialis actionum ratio non secus exigat. qualia sunt, quæ egregiè exequitur Lagus *in methodo Iuris, tit. de libell.* & alterius obiicit Thulden, qui tamen rectè addit etiam iis casibus quibus actio disertè exponenda sit, non seuerè illud requiri vt nominatim fiat, sed satis esse si ita circumscribatur factum, vt intelligi perspicuè possit, ex qua causa agendi quis litem reo intendat.

¶ Porro Imperator sublatis formulis, & impetrationibus, quòd actionem nihilominus negotio competentem esse uoluerit, non significat nomen actionis se desiderare, sed causæ propositionem, ex qua ius persequendi in Iudicio quod sibi deberi existimat actor, intelligatur. quò modo dicimus neminem sine actione experiri, vel alicui competere actionem. *l. si pupil. §. videamus, D. de negot. gest.* quid enim, cum non in antiquam syluam reducamus iudicia, sed præscindamus tantum luxuriantes palmites, si eos qui rei suæ superesse gnari satis sunt, & eloqui possunt, voce siue scripto causam suam agere alibi per se uoluit, & nos assentimur, cogemusne eos, quin Astræe adyta numquam penetrarunt, sed simplicem veritatem exhibere naturâ tantum & rerum usu didicerunt, juris uocabula, quæ nec mediocriter eius periti omnia nouerint, proloqui; vt Anabaptistæ scripturas recitant, haud dixerò. *Simpliciter*, inquit Alex. *¶ pure factum ipsum, & rei ueritatem secundum formam Canonum, & Sanctorum Patrum instituta inuestigare curetis.*



## CAPVT VIII.

## De sententia dicenda, &amp; ordine votorum.

1.  
Ordo soli-  
tus incipere  
à digniori-  
bus.

**P**ostquam in lite satis vtrunque dictum, scriptumve est, ad Iudices acta deferuntur, qui sacrum, vt vocat Plato, suffragium ferentes, iudicio finem ponunt. atque ordo quidem in dicendis suffragiis non idem vbique neque semper fuit. diuersimodè etiam ipsi Romani sunt vsi, sed maximè pro dignitate fuit primo ordine sententiam dicere. & quia rogabantur sententiæ, prærogari dicebatur, qui priori loco, & inde prærogatiua. *In municipiis eorum*, inquit Papi- nianus, *in l. spurij 6. §. ult. D. de decur. potior causa habetur in sen- tentiis ferendis, qui pluribus eodem tempore suffragiis iure decurionis decorati sunt: sed & qui plures liberos habet, in suo collegio primus sen- tentiam rogatur, ceterosque honoris ordine præcellit.* Coactâ verò curiâ quisque prout dignior erat altiore loco sedebat; tum duumviri, si res difficilior erat, nominatim singulorum sen- tentias inquirebant, ordine seruato, qui in albo scriptus erat. *l. 1. D. de Alb. scrib. l. 3. §. restitutus D. de decur.* Sed rectè Diony- sius Halicarnassus *lib. 6.* & Dion. Cassius *lib. 36.* existimarunt periculosum esse secundùm ordinem dignitatû singulos gra- datim consuli, vt assuetum refert in senatu Romano Agell. *lib. 14. c. 7.* perire libertatem iuniorum, aut inferiori gradu consistentium, cùm necessitas sequendæ sententiæ à maiori- bus ingeritur, quorum authoritas ceteros pertractura sit.

2.  
Liberior à  
Iunioribus.

**2.** Inde Piso apud Tacitum, *Quo loco censebis Cæsar? si primus; ha- beo quod sequar: si post omnes; venior ne imprudens dissentiam.* Ariopagita globolis ideo definiebant, quos hodie sequuntur Ve- neti albo absoluunt, atro condemnant.

3.

**3.** Romani viuâ voce sententiam dicebant, illustres quidem Senatores *l. fin. D. de senat.* alij discessionem faciebant, in eam partem quam sequebantur, & quod maiori parti placuerat, in tabulas referebatur, senatus-consultum vocabatur, aut de- cretum decurionum. sed & postmodum tabulis & scripto ta- citè vota ferebantur, quod malo exemplo introductum Pli- nius *l. 3. epist. ad mess. max. & l. 4. ad eundem* queritur, prudenter tamen Titus Arius, cùm iudicio domestico Cæsarem adhi- buisset, scripto sententiam proferre voluit, ne omnium sen- tentia fieret, quæ Cæsaris fuisset. Senec. *i. clem. c. 15.* nec minùs

rectè



rectè in supremis Galliarum Curiis sine ordine vota rogan-  
tur, prout quisque Relatori proximus affidet. Cicero *act. 6. in*  
*Verr. Mos est, ait, Siracusanis, ut si qua de re ad Senatum referatur,*  
*dicat sententiam qui velit: nominatim nemo rogatur, & tamen ut quis-*  
*que honore, & etate antecedit, is primus solet suâ sponte dicere: idque à*  
*ceteris ei conceditur; si quando taceant omnes, tunc sorte coguntur dice-*  
*re. Alibi Iuniores dicunt sententiam priores. Gam. dec. 1.*

Refecandum est quicquid metum adferre potest, quicquid 4.  
in dicendo libertatē onerare. *l. 1. §. onerande D. quar. rer. act. Non* Remou-  
dum quic-  
*enim, inquit Chryf. solus ille est proditor veritatis, qui transgrediens* quid officio  
*veritatem, palàm pro veritate mendacium loquitur; sed etiam ille, qui* lib. rati.  
*non liberè veritatem pronuntiat, quam liberè pronuntiare oportet; aut* & veritatis  
*non liberè veritatem defendit, quam liberè defendere conuenit, proditor*  
*est veritatis. c. nolite timere 11. q. 3.*

Quare & ad libertatem etiam voti pertinet, ut rationē quis 5.  
non deserat quòd à parte contraria numerū videat. *Non sequē-* Qua nec ob  
numerum  
deserenda.  
*ris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces*  
*sententia, ut à vero deuies. Exod. 23. Veritatē semper Iudex om-*  
*nibus quæ hac in vita chara habere potest, antepone debet,*  
*neque in pectus dimittere quòd veritas odium parit. amicus sit*  
*Plato, amicus Socrates, magis sit amica veritas. cogitet se cæ-*  
*tera omnia ante aram Iustitiæ seposuisse. Et quoniam non*  
*tam bene cum humanis rebus agitur, ut meliora pluribus pla-*  
*ceant, non turbetur si contraria aliqua sententia communis*  
*esse dicatur. Sunt & communes contra communes: sunt &*  
*opiniones sine examine receptæ, ad modū quo auiū quòd vna*  
*volat cæteræ sequuntur: ideoq; non numero, sed rationi defe-*  
*rendū est. l. ob carnē. §. fin. D. de test. Dec. cons. 481. n. 12. vbi multa*  
*Panorm. inter quæst. suas q. 4. vers. itē multum. Thef. dec. 57. n. 10.*

Modus votum dicendi & hoc comprehendit, ut laconicus 6.  
sit. nam veritas in paucis consistit, neque oportet prudentio- Laconicè  
dicendum.  
*ribus dicendi locum auferre. Rebuf. in l. femina §. senatores n. 1.*  
*de senat. Inter prudentes odiosa verborum superfluitas. sufficiunt intelli-*  
*genti pauca. Narrauerunt fabulationes, sed non ut lex tua. Psal. 110.*  
*Sed & nullus debeat immodestis vocibus perstreperere, aut tu-*  
*multibus perturbare, nullis etiam falsis vanisq; aut obstinatis*  
*disceptationibus contēdere, sed quicquid dicatur sic mitissimâ*  
*verborū prolatione temperetur, ut nec audientes offendātur,*  
*nec recti iudicij acies perturbato animo inflectatur. Trid. f. 2.*

Et quanquam sit rara temporū felicitas, vbi sentire quæ velis, & quæ 7.  
sentias dicere liceat, ut Tac. 1. hist. tamē credat semper, quod vbi Et circum-  
spectâ li-  
bertate.  
ad se redeunt; voluntas Regū labia iusta. Prou. 16. circūspectè ta-



mē loquatur Iudex, nō dicax sit, neq; acerbis facetiis quempiā irrideat, maximē Principem. *nam earū apud præpotentes in longum memoria est, præsertim, vbi multū ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.* Tacit. lib. 5. & 15. sed ita se habeat, vt dicendi modus dulcoret amaritudinem audiendæ à Principibus veritatis. *nam simplicitas & libertas ni adsit modus in exitium vertuntur.* Tac. hist. lib. 3. & sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Prou. 15. quare Eccle. c. 4. *Noli citatus esse in lingua tua.* Vbi & quomodo vtile aut necessarium est liberè verum promatur, & si dicendi modus rei dicendæ ingratum saporem temperet; Reip. consulitur, & priuatę dicentis, atque Iustitiæ. quod si fieri nequit, quin priuatim ineatur mala gratia, neque in opportunum tempus res differri potest; tamen veritatem non abdicare oportet, Iustitiam non offendere. præponderat enim publica dicendi necessitas priuatę dicentis vtilitati. Ob quam rectè Salust. *Ego ita comperi omnia regna, ciuitates, nationes, vsque eò prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: vbi cumque gratia, timor, voluptas, ea corrupere, post paulò imminutas opes, ademptum imperium, seruitutem impositam.*

Curare ad extremum Iudicē oportet, vt sententia certa sit, non ambigua, aut aliquo dubio resperfa. §. *curare.* Instit. de action. tot. tit. de sent. quæ sine cert. quant. & quia sententia libello conformis esse debet, reiiicitur libellus obscurus, incertus, generalis. l. final. C. de anal. except. Iudices qui ambiguus, incertis, obscuris verbis vtuntur, non litem finiunt, sed alias serunt, generant, sumptus augent, disceptationes producunt, & sportulis suis tantū profunt.

Igitur accuratissimā actorum discussione factâ, eorumque ad leges circumspcctâ applicatione, ne quid ab iis discrepet, ritè conceptis verbis in tabellam sententia refertur, & iuxta Constit. 45. Extrauag. Leonis, Iudicis manu obsignatur, & ore Iudicis proprio, nisi Illustris sit, qualis & Episcopus habetur, aut hodie ab actuariis pronuntiatur; absoluendo, aut condemnando in id quod in iudicium deductum fuit, non aliud. etiam in litis sumptus, damna, & id quod interest, si iustum, æquumque fuerit. Calumniæ quidem, & temeritatis hæc pœna est. ideoque iure quidem sine dolo & culpa, vt in re facti, aut iuris admodum obscuri litiganti non imponitur. sed Edictum an. 1611. art. 9. non facilè id admittit. Taxat hodiè expensas Iudex, actoris libello comprehensas, earum quantitate à reo diminuendo contradicctâ.



## CAP. V T I X.

## De Appellatione eiusque Instantia.

**S**I condemnatus iniuste iudicatum putat, remedium habet appellationis ad superiorem Iudicem, aut delegatorem, à quo non iurisdictio, sed cognitio tantum delegata fuit. concessum omnibus quibus non interdictum. non concessum contumacibus, non confessis, non ter prouocantibus, non de momentanea possessione, non de re quæ dilationem non ferat, non ab interlocutoria reparabili, alimentis, visitatione, correctione, aliisque casibus deserto iure vetitis.

Interponendum intra decem dies à pronuntiatione, aut scientia, & copia Notarij, coram quo in scriptis fiat; nam si viuâ voce coram Iudice, illicò fieri debet.

Admittendum à Iudice, datis dimissorijs, additis actis, & si visum, causâ cur sic iudicauerit. sine dilatione: saltem infra dies triginta, nisi casus sit, quo non liceat appellare. quando Iudex reicit appellationem, & si causam adiecerit, Iudex appellatus de negotio non cognoscit antequam cognouerit de appellatione.

Inchoandum apud superiorem oblatis dimissorijs, & actis intra tempus à Iudice aut stylo præscriptum. à iure bimestre datum appellanti à pedaneo, aut delegato, semestre ad magistratus, biennium olim & dein annus ad Principem. alioquin exinde fatales dies currunt.

Prosequendum intra præscripta similiter tempora. alioquin appellationem fata illa ad interitum vrgent, sententiam firmant. quam tamen adhuc examinari aut roborari aut corrigi vult Nou. 126. §. in omnibus. quam non vbique vsus seruat, sed causæ desertione contentus est; seruat tamen, vt si appellans tergiuersetur, appellato liceat præuenire, litem introducere, & prosequi. sed iure Pontificio ea tempora à Iudice præscribi possunt & coarctari, & à superiore ex iusta causa aduersus lapsum restitutio dari. c. ex ratione. latè ibi Phil. Franc. de appell. Panorm. & alij eodem tit.

Moribus fori sæcularis, apostoli nõ petuntur, instantiæ prima & aliæ perpetuæ sunt. tempora tamen certa introducendæ appellationi præscripta sunt, ita vt alioquin ea deserta habeatur.

Si ex iisdem actis appellans ius dici petit, Iudex mox ea discutit: bene pronuntiat iudicatum, vel malè; corrigitque, vel

1.

Appellatio  
iuris reme-  
dium.

2.

Quis inter-  
ponendum?

3.

Quis admit-  
tendum?

4.

Quis in-  
choandum?

5.

Quis prose-  
quendum?

5.

Quis cogno-  
scendum?



confirmat: expensis etiam & mulcta *l. eos. §. ne temere C. de app.* temerè appellansem castigat. Quòd si quid non dictum priùs allegare probareque velit appellans, id ei permittitur; facta & appellato eadem facultate. modò non ad nouum caput pertineat, sed coniunctum sit iis, quæ apud priorem Iudicem proposita fuere. *l. 4. C. de temp. app.* emendare enim actionem in eodem iudicio. *§. sin minus. Instit. de act.* non alio potest. vt illud est in quo mutatus est Iudex. neque testes produci possunt super iisdem omnino aut directè contrariis capitibus, super quibus in prima instantia alij auditi sunt. *c. fraternitatis. x. de test. Clem. vlt. eod.*

6. *A quibus inconcessi.* A summis tamen tribunalibus appellatio interdicta est. vt olim à præfecto prætorio. tum vt aliquando liti finis imponatur: tum quia creditum est, summos Iudices pro sapientia ac luce dignitatis suæ non aliter iudicaturos esse, quàm ipse Princeps foret iudicaturus. *l. 1. D. de offic. præf. prætor.*

Sed & friuola appellatio vetita est, sine ratione interiecta, & protelandi tantum causâ, in eamque reiiciendam, & per eam tergiuersantes puniendos, Iudices vt incumbant strenuè Reip. conuenit.

Nec minùs ne à rebus minimis iudicatis appellatio foueatur; nam non minùs iniquum quàm absurdum est, quod sæpè euenit, vt super minimis causis maximi Iudices inquietentur, & homines propter minimas causas magnis fatigentur dispendiis, vt forsàn totius litis æstimatio ad sumptus iudiciales non sufficiat. *Auth. de appel. §. illud etiam.*

7. *Qui mutandum?* Appellationum causæ si fieri potest ex iisdem actis decidentur: sin minùs, propositis vnâ schedulâ grauaminibus, & alterâ justificationibus, vel nouis factis, si ex eorum consideratione sententiâ mutanda est, breuissimis tamen omnia terminis per agantur. atque in criminalibus semestri, iuxta constitutionem Pij V. aut saltem biennali, iuxta Conc. Trid. expediant, neque tertio prouocare vnquam liceat, neque in correctione, aliisque singularibus causis, neque nullitas sine allegatione iniquitatis, aut citationis, mandati, aut Iurisdictionis defectu attendatur.

8. *Appellati- ni affinis supplicatio.* Affinis appellationi est supplicatio, cùm à summo Principe eiusque Senatu iudicatum est, quæ non nisi semel permessa est, *l. 5. C. de præc. Imp. off.* si supplicabatur intra decem dies, indicati executio suspendebatur, nisi satisfidaretur. & iure quidem ex supplicatione procedebatur sicut ex appellatione.

Pro-



Propositio etiam erroris seu reuifio vicina est, sed non nisi ex iisdem actis fit, & iudicatum interim executioni mandatur. Propositio erroris.

Restitutio etiam in integrum aduersus rem iudicatam minoribus datur. *C. si aduers. rem iud. & executionem suspendit. C. in integ. rest. post. ne quid novi.* Restitutio.

Querela etiam nullitatis ex Iurisdictionis, aut personæ litigatorum non qualificatæ, formæ iudiciariæ, defectu executionem suspendit. *l. si Prætor. s. Marcel. D. de re jud. l. ult. C. si ex fals. inst. nisi tres fuerint sententiæ conformes. l. ult. C. de ord. cog. Clem. ut de re jud.* ea tamen nullitas vt in tribunalibus Ecclesiasticis hodie ex causa Iurisdictionis, mandati, citationis (ex Clem. VIII. decreto) proponi tantum potest, nec in vlla causa alia attendi, ita nec in sæcularibus frequentatur. Imbert. *Enchyr. ad V. nullum quando.* Querela.

Appellatio ad Iudicis iniuriam non pertinet. *l. 20. de appel.* 9. ideoque nec indignè ferre Iudicè conuenit, si quis ab eius sententia appellauerit, neque de se quis tam eximiè sentire debet, quasi labi non possit. dummodo innocentes manus, animum ab omni passione alienum, sine ignaua imprudentia ad causæ notionem, sententiæque dicendam attulerit. nam vt ex consilio, ita & iudicio non fraudulento nemo obligatur. sed ad fraudem reducitur insignis imprudentia, atque lata culpa. Inuicantiè vire non debet.

Graue non oportet videri cuiuscumque retractari iudicium, quia veritas exagitata sapius magis splendescit in luce. & perniciosè reuocata in iudicium grauius, & sine pœnitentia condemnatur. nam fructus diuinus est iustitiam sapius recenseri. c. Graue 35. q. 9. & Conc. Sard. Episcopus, qui aut iustè, aut iniustè aliquem eiecit, patienter accipiat vt negotium discutiatur, vel vt probetur sententia eius à pluribus, vel emendetur. quæ Innocentij & Concilij Sard. monita optandum esset, vt expenderent multi Iudices, qui excaudescunt vel ad sonum appellationis à suo iudicio interpositæ, vel ad inhibitionem pertinacis progressus; ad definitiuam autem iudicij sui emendationem, perpetes sumunt similtates, & Iudicibus, præsertim delegatis, qui post eos in aliam iuerunt sententiam, verbis perpetuò, atque re ipsâ infecti sunt. tanta certè philautia, non charitatem, quæ non cogitat malum, non iustitiam redolet.



## CAPVT X.

## De executione rei iudicatæ.

1. **C**VM sententia lata, & rata est, nullo appellationis aut alio remedio suspensa, rei iudicatæ fit executio; siue per actionem iudicati *l. 3. s. ult. D. eod.* siue implorato Iudicis officio: vt passim hodiè vsus seruat. nisi hanc implorationem, cum Gudel. *in comm. Iur. nou. l. 3. c. 6.* ab illa actione non distinguamus.

Intra que **D**amnatis olim diuersa tempora concessa sunt, hodiè non seruantur. nisi quæ stylus aut Iudex dederit. cum res iussa est restitui, quæ in promptu est, nulla mora contumaciæ permit- tenda est. *l. debitorib. 18. D. de re iud.* alioquin idoneum tempus tribuitur, eo lapsa per executores, & si opus, per manum mi- litarem, *l. qui restituere. D. de rei vind. l. si quis iussus D. ne vis fiat ei qui in poss. miss.* res aufertur, aut pro pecunia exhibenda pigno- ra capiuntur, distrahunturque. mobiles primùm res, dein immobiles; denique iura & nomina. mores eum iuris ordinem non seruant, sed quod promptius se offert, executioni subii- ciunt. per licitationes plus offerenti addicunt, etiam ipsi vi- ctori. *l. 2. C. si ex caus. iud. pig.* nonnumquam possidenda pigno- ra creditori traduntur donec ex fructibus satisfiat; & alicubi immobilia aliter distrahi omnino non permittunt mores, alicubi non nisi multo post tempore, ex fructibus summa con- fici non posset.

Per detractionem etiam in carcerem cogitur damnatus sen- tentiæ parere, & excommunicationem, si remedium aliud non superest. *Trid. s. 25. c. 3.*

2. **S**peciem rei iudicatæ habent confessio in iure facta, bono- rum cessio, transactio, iuramentum, arbitri laudum, volunta- ria contrahentium condemnatio, contractus Iudicum sigillis muniti, instrumenta guarentigionata, & præsto est Iudicum officium illud ex hisce postulantibus.

3. **C**um pignorum precium omnibus creditoribus non suffi- cit, preferuntur hypothecarij personalibus. inter hos causa crediti, inter illos ratio temporis quo pignus datum est, po- tius ius facit, siue specialis sit hypotheca, siue generalis: ex conuentione, vel in causam iudicati accepta: siue expressa, siue tacita. nisi quòd apud nos conuentionalis nisi coram Iudice rei



rei sitæ facta reale ius non tribuat aut prælationem, nec generalis sine immobilium designatione. saluo tamen dotis, & fisci priuilegio, eiusque qui in ædificij restitutionem, militiæ emptionem, aut vt ad priuilegiarium creditorem peruenerit, pecuniam dedit. Omnium creditorum exactam rationem habet Iudex in distributione precij, ex pignorum distractione redacti, iuxta titulos D. & C. Qui potior in pign. & c. quorum priuilegia breuiter complectitur Gudel. *Iur. nouif. l. 4. c. vlt.*

## CAPVT XI.

Recidua monita de seruando ordine iudiciario, præsertim in litibus criminalibus, & quæ ex officio Iudici incumbunt.

**E**Xegimus quæ ad morem modumque iurisdicundi spectare videbantur, quasi per Indicem & transcursim. quo filo Iudex telam iudicij texendam habeat. qua in re nec illud Apostoli reiiciendum puto, *1. ad Corinth. c. 14. Omnia honestè, & secundum ordinem fiant.* Ordo sanè iudiciarius anima est iurisdictionis: dummodò meminerimus in causis quibusdam iuris ordinem esse, nullum ordinem seruare. Est, inquit Cicero *pro Rabyr. Posth. sapientia Iudicis in hoc, vt non solum quid possit, sed etiam quid debeat, ponderet: nec quantum sibi permissum meminerit, sed etiam quatenus commissum sit.* quo scilicet jure, quo ordine, quo ritu, more maiorum, an forma specialiter mandatis præscripta. adeò vt & Fulliucius *Quest. mor. tom. 2. tract. 40. in 8. præcep. c. 6. n. 199.* Iudicem ob ordinem juris non seruatum obliget ad restitutionem; verbi gratiâ, si inquisiuit cum iuris ordo non permetteret: si confessionem extorsit, cum indicia idonea non essent, & c. post Less. *de Iustit. l. 2. c. 29. d. 18.* Ampla spacia paterent si in eam dissertationem descendere luberet, quæ de toto ordine iudiciario concinnari posset. & nos supra hoc lib. c. 7. satis pro instituto diximus. Plura extant insignium authorum volumina in eam singulatim rem disertè scripta. ad ea maria, quibus lubet haurire, dimittimus. Apud nos ex edito Principum 12. Iul. 1611. art. 3. 4. 5. qui stylum habent emologatum, mandata, & instructiones suas exactè seruare debent, & si quid mutatione eget, ad Principem referre: qui non habent emologatum, ad curiam Prouincialem recurrere:

1.

Ordo iuris  
seruandus.

2.

Belge stylū  
præscriptū  
aut ordi-  
nandum  
seruans.



eo interim vsuri, quo vtuntur superiores illius territorij. sed art. 46. pro securitate maiori decernitur, vt in criminalibus causis Iudices, qui ordinarium certumque stylum procedendi non habent, eo vtantur qui decretus est pro suo prouinciali Concilio. omnia enim hęc Concilia Prouincialia stylum, ordinationes, & instructiones à Principibus præscriptas pridem habent; inter reliquasq; instructiones non infimum locum ea obtinet, quam Carolus V. Imperator Batauis dedit, 20. Aug. 1531. quam insigni libro, quem Synopsin praxeos ciuilis appellat, excussit Paulus Merula. Affines alias instructiones comparauit, & in ordinem iudicarium analiticè digessit.

3. Porro quia omnia, ait Cicero *pro Cæcinnâ*, *judicia aut distrahendarum controuersiarum, aut maleficiorum puniendorum causâ re-*  
*Præsertim in iudiciis criminalibus.* *perta sunt.* in illis minor cura est, in his maior. non tantum quia in illis de re minori, pecuniola, agelloue agitur, in his de statu, de vita hominis; sed & quod in ciuili controuersia ipsi litigantes periculo suo expendere debent, iure, an iniuriâ agant, defendantve, & pœnis suis coercentur temerè litigantes: at in iudiciis criminalibus, iisque quæ Iudex ex officio instituit, non alieno ductu, sed suo Marte Iudex progreditur. & vt in bello non solet iterum peccandi locus superesse, vt Lamechus respondit veniam oranti errati in prælio commissi: ita vbi de re criminali agitur, vix est vt errore commisso res in integrum possit restitui. *Est ergo sapientis Iudicis cogitare sibi tantum esse permissum, quantum commissum sit & creditum, & non solum sibi potestatem esse datam, verum etiam fidem habitam esse meminisse, posse quem oderit absoluerè, quem non oderit condemnare: & semper non quæ velit ipse, sed quid lex & religio cogat, cogitare.* Ita Cicero *pro Cluentio*. vult lex & religio quod iustum est etiam iustè fieri, inson-tem rectè absolui, reum ritè condemnari.

Maranta quidem tractat, *de ordin. iudic. part. 6. s. & peruenitur & c. n. 106. n. 208.* enumerat 65. casus in quibus Iudex procedit ex officio, qui ea propter delicatiori diligentia sunt tractandi; nos generatim comprehendemus sub nomine causarum criminalium, non rigore nominis ad scelera restricti, sed per antithesim litium ciuilium, & pecuniariorum. In criminalibus ergo iudiciis Iudex aliorum motu & metâ carens, (nam rarè hodie accusatio cum inscriptione fieri solet; denuntiatio etiam magis ad Euangelicam referri solet quàm iudicalem, quæ delatores ad expensas temerarias obligat) agmine quadrato incedere debet, ne recta iustitia vllò vndecumque insultu de-  
 trimenti



trimenti quippiam capere possit. Et nos quidem iterum Edicta Principum, & Instructiones dirigunt, & nominatim Edictum an. 1611. art. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47.

Enimverò id imprimis cauendum, ne quis temerè in numerum reorum vocetur. tametsi enim Iudices etiam Episcopi habeant in suis Diocesis liberam potestatem adulteria & scelera inquirendi, vlciscendi, & iudicandi; *c. perniciosam de off. Iud. prouincias & dioceses suas obire iubeantur, & visitare, de vita & conuersatione subditorum quærere; c. Romana de censib. in 6.* non tamen speciatim de authore criminis inquirere possunt, nisi super eo fama ipsius læsa sit. *c. cum oporteat de accusat. adeò vt generatim rogare, non nuncupatim, tantum possint. Less. de iust. lib. 2. c. 29. de iudice dubit. 14. n. 118.* nullus est pro crimine, super quo non laborat infamia, seu clamosa insinuatio processit, puniendus; quinimò super hoc depositiones contra eum recipi non debent. *c. inquisitionis. §. tertie de accusat. c. qualiter 2. ibid.* nequidem tametsi duo vel plures testes iurati asserant *d. c. inquisitionis.* nisi fortè quis crimen confessus sit, aut commiserit in iudicio, aut patefactum sit ex generali inquisitione, aut aduersus bonum publicum sit, vt crimen læsæ Maiestatis Diuinæ vel humanæ. *Less. ibid. d. 15. Scipio minor Caium Liuium prætereuntem cum vidisset: Hunc, inquit, virum scio peierasse: verum quoniam nullus eum defert, non possum simul esse & accusator, & Iudex. Plut. in Apoth. Praxim sæcularium Iudicium contrariam, vt infamia præuia non requiratur, excusat Less. ibid. n. 131. & Fuliucius d. c. 6. n. 191. iidem tamen requirunt vt Iudex non inchoet ex se iudiciu, sed aliquid præcedat, quod inquisitioni viam aperiat, & Iudicem ex officio procedere cogat, quod vices infamiæ suppleat. Duodecim id genus causas conglomerat Fuliucius n. 193. & Less. dub. 16. non admittit tamen Lessius eandem praxim in Prælati Ecclesiasticis dub. 15. n. 140. præsertim aduersus personas Ecclesiasticas. vtpote quorum propalati defectus plus Reip. noceant, quàm correctio profit. vt omittamus Concil. Trid. sess. 24. c. 5. innouasse dictum cap. qualiter & quando, & ab omnibus obseruari iussisse.*

Quòd si tam seriò exigitur ne quis inquiretur, in ius vocetur sine præuia infamia; quanto magis cauendum est, ne citra præuiam infamiam, necessitatem, & criminis grauitatem, quis in carcerem compingatur, qui per se infamat? quapropter Prælati clericos temerariè, vel per iniuriam incarcerantes

4.

Inquisi-  
ne specialis

5.

Carceris  
decernendo.

tes



tes in excommunicationem incidunt. *c. si clericos de sent. excom. in 6.* & rectè Marcus Antonius Genuens. *in praxi c. 29.* tradit, Neapoli non incarcerari clericos, nisi adsint probationes sufficientes ad condemnandum, vel saltem ad torquendum, dummodò clericus non sit suspectus de fuga. ob quam & Trid. in atrocioribus delictis necessariam detentionem admittit. *sess. 25. c. 6.* detentionē vocat Concilium, non carcerem. adeoque addit: in omnibus casibus ea ratio habeatur, vt iuxta qualitatem delicti ac personarum delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. & bene d. Edictum *an. 1611. art. 39.* vetat officariis cuiquam iniicere manus, qui fixos habet lares, nisi in flagranti delicto deprehenso, aut ex Iudicis decreto, cui ex informationibus *iuxta art. 38.* semiplena probatio delicti, aut vehemens suspicio suaserit, aut accusator formalis requisierit, vbi is admittitur.

Iterum breuibus dilationibus peragendi sunt rei, peccantque grauius qui morarum tadio, carcerū, aliorūve incommodorum fastidio, eos affligunt, & non æquè in excusando, quàm accusando laborant. quod vtrumque inculcat d. Edictum *art. 40.*

6. Multò autem magis peccant Iudices, si non sufficientibus Tortura. iudiciis neque ex iuris ordine præscripto reum quæstionibus subiecerint. quæ sufficienter breuiter differit Less. *d. 17.* repetit Filliucius *n. 195.* pluribus exequitur Farinac. *tract. de iudiciis, & tort.* aliique.

7. Maximè autem in ipsa condemnatione peccatur, si præter Condemnatio. ordinem iuris crimine deprehenso confessione illicitè extortâ reus plectatur *arg. l. antep. in fin. D. de quæst.* vbi ob quæstionem illicitè habitam Imp. sententiam irritauit. Less. *d. 18.* Filliucius *n. 199.* qui vtrique *sequent. cc.* prosequuntur Iniurias quæ sunt in iudicio ab accusatore, teste, Aduocato, reo, &c. quas hîc prosequi non est huius instituti. dummodo id repetamus spectare ad Iudicem, compescere omnes eos qui adyta, & sanctitatem iustitiæ temerant suâ improbitate. sibi que Iudex semper illud Deuteron. *c. 16.* dictum obseruet, *iuste quod iustum est prosequeris.* non iuste prosequitur, qui ordine à iure præscripto non prosequitur.

Super hæc autem si non ad mensuram delicti imponatur plagarum modus, pœnaque ad culpæ proportionem non exigatur, si is cui parcendum fuit ob delicti, personæ, sexus, ætatis, aliæve circumstantias, ad rigorem plectatur, si cuius pœna



pœna asperanda potius fuit, parcatur.

Ad profundum autem peccatorum venit, si infontes puniat, fontes impunè dimittat sciens, prudens, cùm de causa ritè liquet. de culpa lata, quæ dolo comparatur, leui, leuissima in causa capitali cognoscenda iudicandaque, non finit hic locus multa dicere. hoc sanè casu vitandæ huiusmodi culpæ, valet illud Democriti, *Optimus Iudex esse iudicatur, qui citò intelligit, & lentè iudicat.*

Dixi initio huius cap. exegisse nos cursum quæ ad morem modumque iuris dicendi pertinent; ad dictionem inquam ipsam iuris. nam quod attinet ipsa causarum iura, non fuit animus ea tangere: Oceanum ingredi, tota Iuris volumina inuoluere: ea in pectoris scrinio habere Iudex debet, & causis in suum prætorium delatis applicare: & habere, inquit Cicero *pro Cluent. in consilio legem, fidem, religionem, æquitatem: libidinem autem, & inuidiam, metum, cupiditates omnes amouere: maximi æstimare conscientiam mentis suæ, quam à diis immortalibus accepimus, quæ à nobis diuelli non potest.*

## CAPVT XII.

## De Stipendiis.

**Q**uo minus per sordes iudicetur, & appellationibus materia subtrahatur, stipendia publica statuta sunt. <sup>1.</sup> *Restè à fisco dandæ.*  
*tot. t. C. de Annon. & capitat.* Iustinianus sanè munerum capturam seuerè prohibens, à fisco stipendia Iudicibus dari iussit: à litigatoribus accipi aliquid vetuit, præterquam Iudicibus pedaneis. *Nouella 82. c. 9. & Nouell. 15. c. 16.* vbi fere idem de defensoribus ciuitatum dicitur. & quatenus idem in Francia olim obtinuerit, bellè refert Loyseau *de off. lib. 1. c. 8.* quomodo sportulæ atque huiusmodi emolumenta pro Iudicum opera in voluendis actis, examinando partium iure, dictandisque sententiis, successerint. & sanè optandum erat, vt iure & antiquis moribus res staret. iniquissimum enim esse Cic. censet Iustitiæ mercedem petere: sed & illud tamen iniquissimum, vt labor in damno sit. Itaque dum Iustinianus fisco onus stipendiorum imposuit, fisco locuples erat, seu meliori fortunâ, seu maiore parcimoniâ, seu frugaliori œconomiâ. nam belli sumptus res eius gestæ summos etiâ fuisse plus satis arguunt. vnde & nulli salarium tribuebatur, nisi iubente Principe. *l. nulli. C. de*



*de pr. ab. sal. l. 10.* maturè perpensis meritis. Hodie vbiq̄ue fere terrarum Principes non sufficiunt aulicis oneribus, cū & olim domaniales redditus bellis insuper gerendis sufficerent. tributa populorū, subsidia belli, etiam in alias causas abeunt, vt vix digna Iudicum stipendia à fisco solui queant, vix dum alicubi pars aliqua nisi ex mulctis, aliisque id genus subsidiis, maxime in Gallia. vbi etiam ipsa Iudicum officia sub hasta veneunt, & qui emunt, vtinam mercaturæ suæ incremento lites non seminent! Magna profectò olim stipendia fuisse Iudicum discimus ex *tit. Cod. de Annon. & capitat.* atque aliunde passim.

2. Magistratus in provinciis cunctis instruebantur necessariis. Vetus institutum fuit, vt Resp. Præsidibus annonas, & pecoribus eorum alimenta subministraret. *l. 2. C. de curs. publ.* quin & Magistratus exeuntes mulis, tabernaculisque, & omni supellectili instruebantur. *Liu. lib. 52.* Augustus verò magistratui prouinciarum pro supellectili ac cæteris necessariis certam pecuniam numerauit. vnde vtensilia locari desierunt. ita vt postea cū Iudices promouerentur, argento, & necessariis intruerentur, mulis, vestibibus forensibus, domesticis, balnearibus, coquis, & si vxores non haberent, concubinis.

3. In officiis occisi remuneratio. Quòd si quem in exercitio officij sui occidi contingat, officium eius hæredibus relinquendum est, vt iudicatum refert in apparitoribus Loiseau, *des offices l. 1. c. 12. n. 33.* quod & decimum in militibus, *tit. de filiis officialium qui in bello moriuntur. C. lib. 12.* Hi enim qui pro Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur. *§. filiis. Inst. de excus. tur.* eiusmodi mortuorum vitam in memoria viuorum positam esse inquit Cicero *Phil. 7.*

## CAPVT XIII.

## De animaduersione in Iudices.

1. Magni magistratus officij tempore non accusantur. **Q**ui de appellationibus cognoscunt, sententiās emendant, nonnumquam & ipsos Iudices pro sua religione, si per dolum aut sordes eas dictauerint, aut aliàs litem fecerint suam. nam quo rectiùs iudicent, non desunt leges vltrices. quominùs tamen Auctoritas Iudicum vilesceret, eius saltem qui imperium habebat, & iubere poterat in carcerem duci, durante magistratū in jus vocari, vel accusari is non poterat. *l. 2. D. de in ius vocand.* quanquam Panicirulus in *Commentariis ad Notitiam Imperij de magistratibus municipalibus c. 8. in fin.*



fn. de duumiris idem, dum magistratu fungebantur, afferit. per l. pars litter. 48. D. de Iudic. quam non de solis Atheniensibus magistratibus, vt Alciat. dispunc. 4. c. 6. nec de Prætoribus, aut Præsidibus, vt alij, sed de omnibus magistratibus municipalibus, qui à Græcis ἀγορευτες vocabantur, intelligit.

Præsides quidem alioue nomine prouinciarum rectores, deposito magistratu per dies quinquaginta in prouincia manere debebant, responsuri omnibus qui de eis quererentur. Ita etiam Borel. lib. 1. de magistr. c. 12. in fin. refert practicam magne Curie Neapolitanæ, quod pendenti officio accusatus de concernentibus administrationem, liberetur cautione de stando iuri, tempore syndicatus, in quod Curia causam remittit, rectius, quàm quod alij paulò antè ab ipso citati, suspendendum magistratum putant statim atque accusatur; eum verbi gratiâ qui perpetuus est; nam Zeno in l. vlt. C. vbi senatores. statuit, ne qui in crimen vocati ante probationes, iniurias patiantur. Ideoque si illustri dignitate fulserint, sedendi quoque, inquit, in aliqua secretarij parte, quæ Iudicibus inferior, altercantibus superior esse videatur, habeant licentiam. & iterum, sedendi cum celebratur cognitio in secretariis iudicantium ius consequantur. cuius legis formam in iudicando Duce Bironio seruasse scribitur senatus Paris. Vetatur vel excandescere Iudex aduersus eos, quos malos putat. l. 19. D. de offic. præs. Difertè etiâ Papin. in l. libertus. §. in quæst. D. ad municipal. Magistratus, inquit, capitalis criminis accusati pristinam dignitatem interim retinent. tamen illius legis dispositione in Gallia non seruari refert, & queritur Loiseau des offices, lib. 1. c. 14. vbi latè incommoda tum suspensionis accusatorum, tum inquisitionis aduersariorum, tum nouimembris rigoris, quem Gallica praxis & fere nostra exercet contra accusatos, supra quam iure Romano permissum sit.

Enimurò vt abusus Gallicis Iudiciis absint, vt optandum est, ita neque eò concedendum, vt nulli cognitioni magistratuum actiones subiici censeantur; ne impunitatis confidentiâ laxatis habenis in innoxios grassentur; fas atque nefas pari loco habeant; ne populum concutiant liberè, si repetundarum agi cum iis non possit. ne pecuniam publicam interuertant, si de peculatu teneri non possint: ne fictis criminibus insontes supplantent, si falsi accusationem non vereantur. ne per sordes, supinam imprudentiâ iudicent, si litem suam facere non possint, & in vicem aduersarij succedere, l. vlt. D. de extraordinar.

2.

Accusatis  
vsque ad  
sententiam  
dignitas  
seruatur.

3.

Esti praxis  
multis locis  
contraria.

4.

Sed ea vitæ  
temperanda.

O

cogn.



*cogn.* vel quantum videbitur religioni iudicantis teneri illi, qui iniquo iudicio læsus est.

5. Sed ut redeamus ad accusatum Magistratum; ut neque suspendi eius exercitium durante accusatione æquum est, ita neque in perpetua spatia criminalem questionem protrahi, sed intra annum olim, & biennium saltem, ex prorogatione Iustiniiani terminari oportebat. *tit. ut intra certum tempus criminalis questio terminetur*, ne perpetuo Respub. careat viro, ad res agendas idoneo. quamobrẽ solo anni lapsu reus delatus absolutus erat, & promotionis capax, qui non damnabatur. *l. reus delatus*

6. *D. de mun. & honor.* Et per sacros Canones enormia tantum quædam crimina id privilegij habent, ut clericus accusatus à sacris functionibus abstinere debeat, donec se purgauerit, ut hæresis, simonia, &c. alioquin pœna suspensionis non nisi causã cognita irrogatur. *c. Presbyter 15. q. 6. versic. & quod nisi fecerit, interim non videmus suo debere Presbyterum, vel diaconum officio privari.* Sic & constitutum est, ne clerici deficiant ab Episcopo accusato, priusquam sub luce obiecta constiterint, & sententiã damnatus sit, *c. 1. & 2. 8. q. 4.* Rectè igitur Iudices post depositum magistratum 50. dies in prouincia commorari debebant, eorumque Consiliarij, Cancellarij, & Ministri. *l. 3. de assess. ius tamen dicebant vsque ad aduentum successoris. l. 10. de off. proconsul. nec prius deponere imperiũ decessor, quam successor in Metropolim venerat, licet prouinciã attigerat. l. 1. de off. præf. Aug. non tamẽ ultra tres menses poterat hærere. l. 2. ad l. Iul. Maiest. Dion. l. 53.* & quod notandũ morosis Iudicibus, huiusmodi controuersia ciuilitèr vel criminaliter ventilatã intra viginti dierum spatium debebant terminari. *l. 1. de off. diuers. Iud. Ex diuerso autem, inquit Iustinianus in Auth. ut Iudices sine quoquo suff. etiam pœnis eos omnium amarissimis subiugamus, si eos qui puris vsi sunt manibus, & fiscalium exactiõnem cum omni detulerint subtilitate, postea deponentes administrationem iniuriari præsumperint, & non cum omni fauore post legitimũ tempus prouinciã relinquentes deduxerint.*

7. Hodie Iudiciorum antiqua ratio contra Magistratu functiones obsoleta est, quæ olim potentissimos quamuis in officio retinebat, vel audaciam præuaricatorum insigniter multabat, morte, exilio, vel aliã pro meritis pœnã: successit in monarchia Hispaniã vsus mittendi in prouincias qui inquirant in acta Præsidiũ, aliorumue Iudicũ, & qui ea quæ cõperta sunt ad Conciliũ regiũ referant, pro ea gente in Hispania institutũ. cuius iudicio bene

*Deposito  
magistratu  
per 50. dies  
in prouin-  
cia moran-  
dam.*

*Inquisitio  
in Iudices  
Hispana.*



bene meriti liberaliter munerantur: qui autem negligenter versati sunt, deside abiectoque animo officium administrarunt, vel iniquè sunt grassati, pro demerito castigantur. *que, inquit Bellus, profectò præcipua est causa & ratio, quâ sacratissima hæc Corona conseruatur, & magis indies exaltatur. an æquè hodie præmia & pœnæ pro meritis dentur, & Coronæ bene sit Bellus alius examinet.*

Alexander Seuerus solebat dicere, paratos se semper digitos gerere, vt si quem Iudicem improbum obuium haberet, oculos ei erueret. optimè; nullum enim malum grauiùs affligere potest Remp. quàm Iudicum improbitas; quid enim si à quibus medicina expectatur, venenum præbeatur; à quibus vera doctrina, falsa doceatur? quo argumento Christus, si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? numquam ergo nimia esse potest in Iudices inspectio, vigilantia, animaduersio. Primùm Reges ipsi, atque Principes vniuersim eam curam suam esse putent, deinde magni sub ipsis magistratus, atque gradatim inferiores singuli in suos, atque in primis Ecclesiastici, quos ipsos Episcoporum titulus iam ab Apostolis vsurpatus, id est speculatorum, functionis suæ monet, & singuli quidem quatenus eis auctoritas commissa est, scilicet Archiepiscopis monendi, corrigendi Episcopis, non amouendi data nunc est auctoritas, sed in grauioribus causam instruendi, & ad Sedem Apostolicam instructâ mittendi, quæ definitiuum calculum ferat. Trid. *ses. 24. c. 5. s. 13. c. 6. 7. 8. sic l. 2. de off. præf. August. Præfectus, inquit, Prætorio augustalis ordinariorum sub se Iudicum examinandi flagitia, & super his referendi, non amouendi, vel puniendi habeat potestatem. & iterum, l. 1. de off. Com. sac. larg. Palatinis, inquit, hæc cura debet esse præcipua, vt periculo proprio notariis destinatis super negligentia Iudicum, si ita res exegerit, conquerantur, ne eorum sit impunita desidia. Ex aduerso tamen aliud statutum est in Præf. Prætorio Orientis l. 3. dict. tit. Si quos, inquit, Iudices, vel propter aduersam corporis valerudinem, vel propter negligentiam vel furtum, vel simile aliquod officium sublimitas tua inutiles esse reperiatur: his ab administratione remotis & vice eorum aliis subrogatis, furibusque pœnis legitimis subactis, ad nostræ mansuetudinis sententiam non crimina, sed vindicta referatur. Nullus ergo præscriptum Iurisdictionis suæ modum excedat, diligentem suorum inspectionem negligat nullus. si quis scintillam neglexerit, quæ inde incendiū excitarit, & humanis & diuinis legibus resarciendo detrimento erit obstructus.*

Prudenter etiam suprascriptis de causis cautum erat, ne

8.

In Iudices  
animarum  
uersio.

9.

O 2

prouin-



Ne Iudic  
in provin  
cia nego  
centur.

provinciarum rectores extra ea, quæ ad victum petinent, quidpiam emerent, ipsi, vel qui circa eos erant: aliâsue contraherent, donationesve reciperent, etiam per interpositam personâ, nec ratificari eâ possent, quamvis consensu post depositos fasces adiecto, vel quinquennij lapsu *l. 1. de contrac. Iud.* sed & illud prudenter non minus Senatus-consulto cauebatur, vt de his quæ provincias regentes, comites, aut liberti eorum, antequam in provinciam venerint, contraxerant, parcissimè ius diceretur. *l. 16. de off. præsid.* ita vt præter victus commercia quæ vitari non possunt, nulla daretur ansa aut vmbra Iudicibus malè in administratione versandi, & puris seruatis manibus iudicia & munia iustè & sanctè exercerent; si fecus accidisset, minas legum non euaderent.

10.  
Episcopi  
circa Iudi  
ces vigilare  
etiam iu  
bentur.

Sed & quò plenius contra malignitatem Iudicum provide-  
retur, Iustin. *in Auth. vt Iud. sine quoque suffragio.* postquam mul-  
tis eos monitis & mandatis instruxerat, in fine addidit edi-  
ctū ad omnes Episcopos: *Tua, inquit, igitur sit reuerentia, & ca-  
terorum, hæc custodire: & si quid transcendatur à Iudicibus, ad nos re-  
ferre, vt nihil contemnatur horum quæ sanctè à nobis statuta sunt. &  
iterum, in Auth. vt nulli Iudicum liceat habere loci seruatorem. Om-  
nem, inquit, damus licentiam locorum sanctissimis Episcopis & Pri-  
matibus ciuitatum, huiusmodi præsumptiones prohibere, & studere, vt  
hæc omnia sine impedimento & sine dispendio secundum legem virtutum  
procedant, & de his nobis nuntiare.* Sed neque id tantum per for-  
mam facultatis, aut moniti Iustin. proloquitur, sed addit: *Vos  
autem si negligentes non referatis, rationem reddetis apud Deum pro  
aliorum iniustitia, si quod non agnoscentibus nobis damnum apud vos  
hominibus inferatur. Sed oportet presentes vos provincijs, & proijs,  
ac reliquis detestantes manifestos nobis facere & rectos Iudices &  
transcendentes hanc legem nostram, quatenus utrosque cognoscentes,  
hos quidem puniamus, illis autem repensemus. Quinimò Iudices per  
Episcopos ad officium adiguntur Auth. vt differentes Iudices  
audire interpellantium allegationes, cogantur ab Episcopis hoc agere.  
& vltèrius *ibid. c. 1. Iubemus sanctissimum Archiepiscopum audire cum  
clarissimo Iudice, vt ambo per amicabilem conuentū dissoluant quæ dubia  
sunt. & infra: si tamen contigerit quendam nostrorum sibiectorum ab  
ipso clarissimo provincie Iudice lædi, iubemus eum adire sanctissimum  
illius ciuitatis Episcopum, & ipsum indicare inter clarissimum illius pro-  
uincie Iudicem & eum qui putatur lædi ab eo. Enimverò nescio an  
odiosa magis hæc essent hodie si fierent; an damnosa sint,  
quia non fiunt.**